Lib G. 1

VENET

1. e. 21.

Sec. 2.

MISCELLANY

MISCELLANEA

PHYSICO-MEDICA

TOMVS PRIMVS.

PATRIARC. SEMINARIO
VENEZIA

MISCELLANEA

PHYSICO-MEDICA

EX ACADEMIIS GERMANICIS

DEPROMPTA.

TOMVS PRIMVS.



FLORENTIAE ANNO CIↃ. IↃ CC. XLVII.
EX TYPOGRAPHIO IOANNIS PAVLLI GIOVANNELLI

PRAESIDVM ADPROBATIONE.

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMOQUE VIRO

D. PAVLLO VALCARENGO

NOBILI CREMONENSI

PRIMARIO MEDICINAE PROFESSORI

IN REGIO TICINENSI ARCHIGYMNASIO

EIVSDEMQVE FACVLTATIS INTERPRETI

IN SCHOLIS PALATINIS MEDIOLANI

NEC NON BONONIENSIS ACADEMIAE

INSTIT. SCIENTIARUM SOCIO,

&c. &c.

Io. PAVLLVS GIOVANNELLI S.

CVM ubicumque terrarum deceat maximè sapientum laudes celebrari, tum in iis potissimum orbis partibus in quibus egregia

virtutis & ſapientiae ſuae monumenta reliquerunt. Quod animo dum revolverem laetandum mihi eſſe ſenſi VIR ILLUSTRISSIME hanc mihi Dei O. M. beneficio opportunitatem contigiſſe ut, volumen hoc nomini inſcribens tuo, emerita laudum tuarum argumenta in hac urbe producerem, cui maximam ac paene primam Medicae ſcientiae partem debere TE libentiſſime profiteris. Decet itaque ſuaviſſimam animo revocari tuo ſtudiorum memoriam in hac olim urbe inſtitutorum, quae uti aliis iiſque preaſtantiſſimis Italiae urbibus Medicinae, & Chirurgiae cultores, praeceptoreſque tradidit abſolutiſſimos, ita & TE Cremonæ tuae, Ticinenſi Lyceo, Mediolanenſi civitati reddidit illuſtriorem. In Regio ſiquidem Noſocomio Florentino, in quo eximiam praxi Medicae operam dediſti, purioris ſtudii, diligentiſſimae obſervationis, laboris perpetui optimique preaclara TE reliquiſſe teſtimonia ſumma cum voluptate novimus, celeberrimos nactus in re Medica viros, quos inter duos maxime grati, & benevolentis animi ergo memoras

Bertinios (*Meaic. rat. tom.* 1. *num.* 143.) Seniorem Ant. Franciſcum, ſpectatiſſimi nominis virum, & in eo noſocomio Medicae praxeos Profeſſorem Publicum, & Ioſephum Filium parentis adhuc exempla ſcriptis optimaque praxi decorantem. Cumque ea TIBI ſemper arriſerit medicina, quae arriſit nunquam ocioſo lepidoque praxim neſcio quam iactantium generi, & medicorum ſcriptorum manibus inimico, hinc in aliarum quoque diſciplinarum ſtudia TE perpetuo tradidiſti, ac praeſertim mathematicae ſub celeberrimo M. E. D. Geometra Guidone Grandio populari tuo, per quae compoſitis theoriae praxeoſque ſubſidiis eam tibi comparares medicinae formam, quae plurimarum artium cognitione, librorum optimorum ſtudio, prudentiorum medicorum colloquio, experimento demum, eoque non comuni, neque ab omnibus facile inſtituendo, ſed omnino philoſophica proindeque difficillima, & diuturna obſervatione continetur. Hac ſcientiarum, hac obſervationum luce decoratus reverſus in patriam ita TE omnibus

praestitisti, nihil ut non singulari ingenio tuo, nihil non praeceptoribus dignum effeciſſe videreris. Cumque anguſtis patriae finibus parta undequaque ſcientia nequeat contineri, & omnium gentium commodo atque utilitati patere debeant ſapientum conſilia, hinc bene ſapienterque egregia virtutis tuae documenta doctiſſimo rationalis medicinae opere diffuſa publici iuris eſſe voluiſti. Ita vero operis tui apud omnes gentes fama percrebuit ut magnifice de Te ephemerides literariae praedicarent, & excellentiorum Italiae medicorum, qui recentiſſime floruerunt, in te Lipſienſes reviviſcere gloriam & merita teſtarentur, ac denique incredibili bonorum omnium plauſu Te ſpectatiſſimo doctorum hominum caetui ſocium adſciret Bononienſis Academia. Hac nominis tui dignitate, hac editorum operum celebratione perculſus bonarum artium fautor Excellentiſſimus Senatus Mediolanenſis bene ſapienterque omnibus ubique gentibus ſcientiae tuae lucem & commoda patefecit, dum Te ſumma cum nominis tui gloria primarium in Regio Ti-

cinenſi

cinenſi Athaeneo Profeſſorem conſtituit. Quam vero gloriose de TE ampliſſimus prudentiſſimorum P. P. conſeſſus, quam praeclare ſentiret apertiſſime teſtantur nobiliſſimi caetus elogia (*rat. Medic. tom.* 2. ubi in approbatione operis D. Porrius literarum a Senatu Mediolanenſi ſcriptarum exemplar inſerit) quem ad TE honorificentiſſima dignitate cohoneſtandum impulerunt *ſingularis animi tui peritia ad omnem curationis rationem domi foriſque ſpectata, tum clinicae animadverſiones evulgatae, quas iudicii acumine, eruditionis copia, multoque ſtyli nitore accuratiſſime perſpexit digeſtas, &c.* Neque hiſce duntaxat contenta Mediolanenſium in ſapientes magnificentia eminentiſſimo quoque in ſcholis Palatinis Theorico-practicae medicinae interpretis nomine auctum TE voluit ornatumque, & ignotam elapſis in ea urbe ſaeculis cathedram, novae dignitatis TIBI primo conſtituendae gratia, erigendam putavit. Vti vero publice evulgata ſcientiae tuae argumenta orbi univerſo utilem TE reddiderunt, ita & mutuis erga TE gentes omnes

de-


decertant officiis, quo publicae ſemper utilitati conſulas. Hinc perpetuus ad TE hominum conventus accuratae mentis reſponſa ſciſcitantium: hinc expetitae ab exteris medicae conſultationes. Hinc graviſſimorum hominum Principumque votis deſiderata per TE in privatae ſalutis praeſidium oracula. Non autem ampliſſimorum TE undequaque ambientium titulorum cumulus, non honorificae dignitates, non munificentiſſima quibus frueris praemia, ſed virtutis amor probitaſque tua id efficiunt ut in egregio curſu perſeveres, noviſque Rempublicam literariam ſummo ingenio partis operibus illuſtres, & ſcientiam tuam, atque ex illa profluentem in omnes utilitatem doctiſſimorum tuique ſimilium auditorum incremento longe lateque diffuſam facile omnibus, tot licet ſudoribus partam, & ſine fuco exhibeas.

Hec itaque tua ſuſceptorum in hac urbe praxeos ſtudiorum grata animi recordatio, hec nominis fama, hec tuorum magnitudo meritorum effecit ut laborem hunc meum tibi VIR CELEBERRIME conſe-

cra-

crarem quem si pro tua erga omnes benevolentia perhumaniter exceperis, & incredibilem mihi paries voluptatem, & detractorum dirues invidiam. Vale

Florentiae die Octobris X. Anno 1747.



IO. PAVLLVS GIOVANNELLI

A. L.

QVas oculis ſubiicimus tuis *Amice Lector Diſſertationes, opera ſunt eruditorum Iuvenum qui ad eas dem conſcribendas eam nacti ſunt opportunitatem, cum nimirum iura honoreſque publicis in Academiis peracto ſtudiorum curſu conſequendos ſuſcepturi, quaeſtionem aliquam pro veteri Germaniae, aliarumque gentium conſuetudine publice propugnandam exponerent. Earum vero plurimas ac fere innumeras nobis exhibuit ampliſſima doctiſſimi Viri Baronis Philippi Stoſchii Bibliotheca quam Vir*

Eru-

Eruditissimus patere omnibus cum voluerit, id nobis ocii fecit ut quorundam quibus familiariter utimur rei Medicae peritorum auxilio, ex ingenti earumdem turba eas potissimum seligeremus, quae vel rei novitatis vel purioris doctrinae merito facilius comprobatae medicinae studio voluptatem simul & incrementum conciliarent. Quamvis autem ex iisdem nulla nobis obversetur quae in publicam lucem producta non fuerit, quaedam etiam in praeceptorum operibus insertae reperiantur, tamen & typis rursus excudere non omnino contemnendum nec inutile negocium esse duximus, cum apud nos vel rarius occurrant vel quidpiam praeseferant aut necessitatis aut novitatis, ita ut omnibus facile voluptati esse possint. Eo potissimum titulo illas tibi non ingratas certe futuras esse censuimus quae de affectionibus minus notis vel ad trutinam minus revocatis vel quae de notis, nova tamen & peculiari methodo differunt, vel quae suspectae licet fidei argumentum exhibeant rariores tamen minusque cognitas historiae Medicae partes illustrant. Quod ea maxime de causa perspectum tibi notumque esse voluimus, ut quas proponere animus est dissertationes de philtris, de transplantatione morborum, aliave eiusmodi non improbares. Quid quod & ex iisdem nonnullas politiori theoria aut recentissimis observationibus fortasse minus quam desideres illustratas inserendas tamen putavimus, vel quod optimis polleant consiliis ad praxim pertinentibus, vel quod emunctae naris Medico quaedam facillime suppeditent argumenta vel bene cogitandi vel quidpiam novi reperiundi Quo nomine nimis multae nobis occurrebant inserendae iucundissimae per-

qui-

quisitionis argumenta praeseferentes & hominem naturae operantis admiratorem sibi facile conciliantes uti illae Ex gr. in quibus agitur De Divino in Medicina, de longaevitate Medicorum, de vera lycanthropiae explicatione, de fulminatis, &c. *nisi causae in contrarium plures obsisterent quas* hoc loci *non est memorare. Neve aliquid laudis cuiquam dethraere videremur Dissertationes omnes (quascumque ita nobis integrum fuit invenire) adolescentum simul Studentium, & praeceptorum nomine inscriptas exhibuimus. Quod quidem eo consilio a nobis factum est ut clarissimorum hominum titulo auctae ornataeque quamdam sibi apud omnes autoritatem pretiumque facile comparrarent, & si quid in iis deprehenderes, quod Hoffmannos saperet Albinos Stahlios, aliaque eiusmodi Reipublicae literariae lumina, praeceptorum sapientiam ex auditornm scriptis veluti reflexam commendares nosceresque quantum optimi iuvenis doctrinae gloriaeque confirmandae valeat optimi praeceptoris institutio. Quamvis autem ex iisdem nonnullas serio perlegentibus aliquando quaedam occurrant in quibus fortasse vel validioris argumenti vis, vel sincerioris fidei praesidium, vel purior doctrina desideretur, nibil tamen ullibi vel immutandum, vel adiciendum esse iudicavimus. Quo non sensa tantum opinionesque scribentium complecti voluimus, sed & ipsas aliquando dubias rerum quarumdam aut effectuum bistorias & ipsam quoque non infrequenter ortbographiam. Neque enim ex iis qui Dissertationibus bisce seligendis operam dederunt ullus est qui turbulentam censoriae dignitatis laudem aucupatus usquam fuerit, aut aliena*

ca-

caſtigare officii ſui eſſe duxerit. Id itaque duntaxat negocii nobis aſſumpſimus ut prolixa quędam prolegomena ad rei illuſtrandae confirmationem non nimis facientia docte licet expoſita, vel omittere vel brevius complecti concederetur, quaedam denique ad Germanicos mores voceſve omnino pertinentia vel latina reddere vel argumenti neceſſitate minus urgente ſilentio praeterire. Qua in re nec ipſis Diſſertationum ſcriptoribus diſplicere nos poſſe cenſuimus cum nihil exinde illorum doctrinae glorięve dethraatur & ſi quid fortaſſe eourmdem opinione minime comprobetur facilem nobis veniam pollicemur & praeclaro ſapientum charactere digniſſimam. Caeterum id operis tentaviſſe nobis met ipſi gratulamur, tum ut noſtra in publicam utilitatem ſtudia patęrent, tum ut ea grati & benevolentis animi teſtimonia ſignificaremus egregiis Germanae gentis ingenii quorum diligentia inuentiſque plurimam certe artes omnes lucem ac diſciplinae ſuſceperunt. Quod ſi in tanta doctrinae copia aliquid occurrat quod delicatis naribus minus fortaſſe quam putarint exquiſitum, quodque aut immutandum aut expunzendum fuiſſe videatur, id laudis erudito lectori relinquendum voluimus ut quae minus perfecta fortaſſe & autores, mōrę magnorum virorum, ultro fateren. tur, generoſo animo & definitae humanae ſapientiae memori complecteretur.

DIS-

IOANNIS STENGEL

VLMA-SVEVVI

DISSERTATIO

DE DEO LEGISLATORE MEDICO

PRAESIDE

IO. HENRICO MVLLERO

IO. HENRICO MAGERO

PHYSICAE

DE DEO LEGISLATORE MEDICO

DISSERTATIO

AD VIRUM SUMMUM

IOANNIS SLEIDANI



DISSERTATIO PRIMA.

De Deo Legislatore Medico.



VM Deum Legislatorem Medicum demonstrandum proposui, brevibus indicandum, scopum mihi praefixum esse, ut ostendam, Deum in ferendis V. T. legibus subinde ad populi sui sanitatem respexisse, eoque respectu plurimas leges ita attemperasse, ut illarum observatio simul egregie sanitati conservandae conduceret. Quo ipso instituto uti Benignissimum Numen Medici prudentissimi officio functus

eſt, & autoritatem inſuper Legislatoriam, per quam legum obſequium, ſtricto iure exigitur, addidit; ita merito inde a nobis tanquam Legislator Medicus ſiſtitur.

Triplicem alias in V. T. deprehendimus Legem, Moralem, puta, Forenſem, ac Ceremonialem; Mihi tantum de ultima, & ne hac quidem univerſa, ſed de ea modo eius parte, qua Deus impuritatem omnem phyſicam avertendam, & exterminandam, Iſraelitis praecepit, ſermo erit: Quales ſunt, quae de Cibis impuris, animalibus nempe ſanguine & carnis quibusdam generibus; Perſonis item, v. g. Leproſis, menſtruatis, &c. Porro etiam Rebus, veſtibus ſcil. vaſis, & reliquis; & denique de Locis, Sacris, ac Profanis, Publicis Privatiſque, caſtris nimirum ac aedificiis lepra infectis, a Deo traditae ſunt; A quibus forte nec excludenda ſunt, duo V. T Sacramenta, & quae de Terrae Cananeae ſitu ac fructibus, Sanitatem maxime promoventibus, dici poſſunt. Quae omnia ſpeciatim in ipſa tractatione recenſebo.

Antequam vero id fiat, obſervo, non omnes mecum rationem aliquam phyſicam in his legibus latentem agnoſcere, ſed ſi unquam alias, ſane in hoc argumento maxime variare eruditos, adeo ut ſi omnes eorum ſententias primis tantum digitis tangere velim, aliquot paginae rationibus implerentur. Collegit vero plurimas praecipuaſque Io. SPENCERVS (1) Doctiſſimus Anglus, de dictis legibus, rationes. Quae quainvis amoeniſſimo tinctae ſunt colore, minime tamen omnium oculis quod videri

(1) De legibus Ebraeor. ritual. Lib. I. C. V. Sect. 1. ſeqq. & C. VIII. Sect. II. & IV.

ri volunt perſuadent, ut potius, quae ſunt ab eo reiectae, Noſtris ipſique Spiritui S. maxime probentur. Quaedam enim nullo ſolido nituntur fundamento ſacro, ſed partim ex Rabbinorum potius cerebro confictae, partim etiam ex ipſius SPENCERI, ab aliis tamen WITSIO praeſertim (1) refutata hypotheſi, ac ſi Deus Idololatricos Aegyptiorum mores purgaſſet, & ad ſuum cultum tranſtuliſſet, profluxere: Poenae autem loco, haec ſtatuta Iſraelitis fuiſſe, ut idem SPENCERVS ſentit, quis credat? Vtrum vero & quomodo valeat ratio, quae de peculiari electo populo, & Naziraea gente adducitur, ex poſtea dicendis, intelligi poterit. Idem etiam de iis quae de Sanctuarii dignitate ac honore integro conſervando, item de ſimbolica ratione notata ſunt, cenſendum. Cetera cuiuſque arbitrio evolvenda relinquo, & potius ad eam, quam meam feci ſententiam exponendam, viam iterno ac pando.

Deum igitur Legislatorem Medicum, adductis exemplis, comprobandum, quum mihi praeſcripſerim, primum quae de Sacramentis ac ipſa Cananaea terra monenda ſunt, tradam. In his quoque Deum ſe Medicum praebuiſſe, forte haud abſque cauſa opinari licet. Praeſertim ſi conſideremus ea, quae PHILO nobis de circumciſione notavit, ſcribens: *inſerviſſe circumciſionem ad praeſervandum corpus a carbunculo, morbo moleſto & curatu difficili.* Deinde *praeparationem fuiſſe, ad numeroſam ſobolem generandam, gentes enim circumciſas foecunditate & numero hominum omnium maxime pollere.* Quae rationes quamvis CLERICO (2) haud ſatis verae videantur; ego ta-

men

(1) In Aegyptiac. (2) In Comment. ad Gen. XVII. 11. pag. 28.

men ſatius eſſe arbitror, ſi in medio id relinquam, atque nec temere affirmandum, neque etiam acriter negandum ſuadeam. In Paſchate certe Deum agnum anniculum eo tempore, quo & ob aetatem & ob victum, quo tunc utebatur, pro cibo ſalubri valebat, populo dediſſe clarum eſt, atque ita ſimul ſanitati illorum conſuluiſſe, dubio vix caret. Ceterum tacere non poſſum, quando de Paſchate ſermo eſt, quae de tranſitu ex Aegypto narrantur, huc quodammodo facere. Quod nempe Deus plenilunii tempore, ſuum ut eo commodius nocte proficiſci poſſet, populum ex dicta terra eduxerit, ubi novo quaſi ſpecimine ut benignum & naturalia quoque curantem Patrem, illi ſe probavit.

De Terra Iſraelitarum Canaan nolo poſt Homerum Iliada ſcribere, ſiquidem ſatisſuperque in eius fertilitate, fructibus animalibus & variis liquoribus, oleo puta ac melle, & ceteris deſcribendis CL. RELANDVS (1) ſedulum laborem adhibuit. Quibus omnibus ſane deliciis ſanitati, ſi modicus uſus accederent, conſuluit (2). Ne vero officio meo deſim, quae de eius ſitu praecipue ſunt monenda, notabo: Notum, Terram Canaan, & Hieroſolymam praeſertim, montibus ſuperſtructam, ob altiorem ſitum, ſubtiliore ſanioreque aere praeditam fuiſſe: Id certiſſimum eſt, *preſtantiorem magis ac puriorem aerem hauſtum eſſe in hac terra quam Aegipto*, *cum ibi* ομιχλωδης κ᾽ δροσοδολος ſit ut EX THEOPHRASTO (3) laudatus RELANDVS (4) id annotavit, & Nili exundatio, aliaque phaenomena id ſatis comprobent. Quis ergo mortalium inficias ive-

(1) In Paleſtina Lib. I. C. VIII. p. 379. ſeqq. (2) Ezec. XVI. 13.
(3) Lib. VI. de cauſis Plantar. c. 26. (4) L. c. pag. 385.

iverit, Deum & hac in parte maxime se Israellitis Phisicum Medicumque praestitisse atque sic sanitati consequenter & longaevitati illorum consulendi, omnem curam adhibuisse: Vt pluribus adeo de his proferendis supersedere possim.

Consideratis illis, quae Deum Medicum tam in Sacramentis, quam in Terra Israelitarum aliquatenus demonstrant, progrediendum iam ad ipsas leges, de quibus supra dictum, erit, ubi primas tenent illae, quae de cibis vel concessis vel prohibitis quid faciendum vel omittendum esset, praescribebant. Non quidem animus est, de prioribus, sed potius de posterioribus loqui, ne sim prolixior. Animalia ea propter impura ante omnia se sistunt consideranda. Vbi nolo supra notatum adversarium SPENCERVM (1) rursus in scenam producere, sed magis meam iam adductam (2) rationibusque probatam sententiam nunc exemplis roborare conveniens esse videtur. Horum ergo animalium discrimen physicis etiam rationibus inniti mihi a vero minime alienum videtur. Costat enim, non omnium animalium carnes chylum aeque laudabilem gignere, sicut in porco, de quo mox speciatim dissseram, nimis manifestum est. Constat etiam, quod inter Quadrupeda ea fere praecaeteris salubria deprehendantur, quae ruminant, & ungulis bisulcis praedita sunt, tametsi causam huius rei assignare non aeque in proclivi sit. Quod si tamen coniecturis locus relinquatur videtur Ruminatio indicium esse probae digestionis, ungula autem bisulca character mediae & temperatae complexionis quae nec nimia humiditate nec siccitate abundet, sicut

(1) Lib. I. C. V. S. III. (2) Supr. h. disp. C. I. §. IV. & V.

e contrario ungula ſolida ſ. continua indicium ſubſtantiae terreſtis non ſatis digeſtae & ad concoctionem minus aptae, pes autem multis fiſſuris ſ. unguiculis praeditus effectus temperamenti ſaepe nimis cholerici. Idem de avibus quibusdam rapacibus nimia ſiccitate, aliiſque animalibus aquaticis, nimia humiditate laborantibus, ſtatuendum: ob quam poſteriorem cauſam piſcium quaedam ſpecies, ut anguilla & huiuſmodi iu cibum Iſraellitis nunquam erant conceſſae. Quae omnia, niſi brevitati ſtuerem, per ſingulas Levit. XI. citatas ſpecies eſſent probanda (1).

Limites vero ne traſcendantur, ſolum porcum exempli loco afferam, ut ex hoc uno quid de ceteris dicendum ſit, pateat. Huius animantis ipſum nomen etiam Iudaeis adeo eſt odioſum, ut inter res ſcaevas & mali ominis numerent, ac prae ceteris animalibus inprimis porcos fugiant, teſte PETR CVNNEO (2) cauſam eius rei phyſicam ſequentem afferente: *Fuit olim populus Iſraeliticus mire obnoxius iis morbis, qui Syros ut plurimum atque Aegyptios infeſtabant. Vitiligines enim, pſoraſque & tetra ulcera iam olim illis gentibus velut proprias peſtes, adſcripſere ſummi Medicorum. Hos autem & ſimiles pene morbos uno nomine complexus Moſes eſt & lepram vocavit. Porro in ſuibus ſcabies & immundities, non vitium, ſed natura eſt. Quare ne ad corporum pravam affectionem contagio quoque accederet aliqua, ex eſu contactuve, paulo ſuperſtitioſius averſati ſuem ſunt, quam aut lex Numinis fortaſſe inſſerat, aut poſitum in gentium aliarum inſtitutis erat.* Ne vero taedium

Lecto-

(1) Conf. hac de re Io. de Mey. Phyſiolog. Sacra p. 152. ſeq. (2) De Republ. Ebraeor. LII. c. XXIV.

Lectoribus moveam, nolo plura testimonia cumulare, sed potius harum rerum curiosos ad WITSIVM (1) & SPENCERVM (2) ablegare. Id saltim addens, quod glandulis, quas Germanico idiomate *finnen* vocamus, sues maxime laborent, de quo Iudaeorum non modo vetustiorum, sed & hodienum constantis experientiae, testimonium praesto est. Mirum ergo non est, Deum hocce animal mensis Iudaeorum, ad sanitatem illorum conservandam abesse voluisse ac singulari diligentia praecepisse. Ex quo etiam exemplo omnium manifestissimo, & nemine dissentiente de physico fine apertissime, testante, de ceteris obscurioribus forsitan, quantum ad nomen & rem ipsam, iudicium ferri poterit.

His igitur, quae ad generalia ciborum pertinent, missis, porro inquirendum, annon & alia ut non comederent Iudaei, Deus voluerit? Vbi primum occurrit caro triplex non tangenda multo minus edenda: Lacerata scil., sponte emortua, & in sanguine suo vivens. Ad primam quod attinet, praeceptum de ea extat Exod XXII., 31. Lev. XVII., 15. XXII., 8. Quod cur datum sit a Deo, Celeb. CLERIC. verbis (3) explicabo, scribentis: *Ratio huius legis videtur eo niti, quod ferarum morsus venenati forte haberentur, aut saltem nescio quid parum salubre demorsae carni affundere. Quod si ea ratio non placet; haec saltem non displicebit; nempe dum pecudis carnes a fera occisae, nunquam satis sanguine purgari possent, illicitus fuit eius esus, eadem causa, ob quam sanguis vetitus fuit.* Sive prima igi-

(1) In Aegitiac. L. I. c. VII. pag. 34. (2) L. c. L. I, c. V. Sect. IV. P. 92. seqq. (3) Comment. ad Exod. XXII. 31.

igitur ſive ſecunda eligatur ſententia, meam adductam utraque maxime corroborat, cui nec ratio ipſa, & ſenſus huiuſmodi ciborum ab aliis ipſo guſtu neſcio quid alieni ſapientium, contradicit. Apertior res eſt in ſuffocato ſponte emortuo animali, cuius & eſum & tactum Deus Lev. XI. 39. ſeqq. Iudaeis interdixit: Inſalubris enim ſine dubio eſt caro pecudis ſponte mortuae, quippe quae aegra erat; ut rurſus notat laudatus CLERICVS (1) ob nauſeam ſimul, Deum, & exinde facile atrahendum morbum, tactum vetuiſſe neminem credo dubitare, cum pervulgatum ſit, multos vel ex adſpectu moribundi hominis aut animantis vel cadaveris iam mortui ſibi aegritudinem accerſiviſſe: Quare in morbis peſtilentialibus nihil eſt frequentius, ne quid de odore dicam & exhalationibus, a quibus ſanitati plurimum periculi eſt. Maioris indaginis eſt de carne in ſanguine ſuo vivente praeceptum, Gen. IX., 4. Deut. XII. 32. extans, cuius de literali etiam ſignificatu maxime inter ſe diſtant interpretes, mihi tamen illa aliis praeferenda videtur explicatio, intelligi carnem modo interfectae pecudis, ex qua ſanguis hactenus exſtillare vix potuit. Notum autem eſt atque quotidiano experimento probari poteſt, quod ſi caro tali modo elixetur, multo durior maneat, quam ſi per aliquod, ſed iuſtum tamen tempotis ſpatium pependerit, atque ſic ſanguis exſtillaverit: talem vero duriorem carnem difficulter concoquendam ad cruditates corporis aliaque incommoda plurimum facere, vel fumo induratarum carnium uſus docet. Ne ergo & hoc modo ſanitas Iudaeorum corrumperetur,

(1) Comment. ad Levit. XI, 39.

tur, hocce praeceptum Deum praeſcripſiſſe haud dubitare licet.

His alios quoque cibos vetitos, ſanguinem puta ac pinguedinem ſubiungo: nam & hos in nutrimentum aſſumere prohibitum eſſe, ex Lev. VII. 23. 26. XVII. 10. aliiſque locis videre eſt: aſt cur id factum, non omnes idem ſentiunt. Ad meam corroborandam ſententiam faciunt Iudaei ipſi, qui, e. g. MAIMONIDES citante SPENCERO (1) aſſerunt: *Deum a ſanguine comedendo Iudaeos cohibuiſſe, quod concoctu difficilis eſſet, & nutrimentum craſſum praeberet ac faculentum*: Quod ex eodem R. MOYSE annotavit OSIANDER (2), qui & ipſe parum abeſt, quin ſuum album calculum adiiciat, ſtatuenti, *ſanguinem ac adipem minime bonum nutrimentum generare*. Quibus denique conſentientem R. LEVI BARSELONITAM apud HOTTINGERVM (3) addere placet, dicentem: *ideo Deum adipem a menſis Iudaeorum remotam praecepiſſe, quia ſanitati noceat, & malorum humorum cauſa ſit*. Domeſticis hiſce interpretibus optimo iure addendum iudico haud ſecundi ordinis Medicum DAN. SENNERTVM (4), qui magnam vim ineſſe ſanguini docet ad corporis & morum mutationem: praecipue arterioſo. *Is enim*, inquit, *ſanguis calens & ſpiritibus plenus, potus, miras mutationes inducit, ut vel generatim ſaltem beſtiarum ſterilitatem exprimat vel ſpeciatim alicuius beſtiae mores imitetur. Cum enim ſanguis naturam ſui animalis habeat, omnes animalis actiones potiſſimum ſpirituum & caloris nativi beneficio perficiantur, illo ab homine aſſumto, credibile eſt in ſpiritibus eius & calore, ac conſequen-*

(1) L. c. p. 124. (2) Commene. ad Lev. XI. Qu. 1. p. 88. h. (3) De iure Ebraeor. n. 147. (4) Inſtit. Med. L. II. P. 2. Sect. 2. c. 4.

quenter in humoribus & ſolidis partibus fieri mutationem. Sic apud S. AVREL. VICTOREM (1), ut unius tantum exempli mentionem faciam, *Livius Druſius hauſto caprino ſanguine ſemianimis deportatus domum dicitur*. Gravem ac terreſtrem eſſe brutorum ſanguinem, cauſamque multarum aegritudinum, ſi comedatur, teſtatur PERERIVS (2). Et PLINIVS (3) nos docet, *taurorum ſanguinem celerrime coire, & dureſcere, atque proinde peſtiferum eſſe*. Hiſce iam cumulatis teſtimoniis, nolo plura addere, ſed inde magis concludere, etiam his rebus, ut ſanitatem ſuam ſervarent, Deum Iudaeos monuiſſe ac immunes ab omni periculo praeſtare voluiſſe (4) Vnicum igitur adhuc reſtat obſervandum, quod acriter ſemper ac ubique vexavit eruditos, eoſque in explicando diligentiores reddidit, quomodo nempe ea ſit intelligenda lex, quae de capreola in lacte matris non coquenda Exod. XXIII. 19. XXXIV., 26. Deut. XIV., 21. invenitur. Vbi iis adſtipulor, qui capreolam, matris ubera adhuc ſugentem interpretantur, ideoque Deum vetuiſſe talem capreolam mactare, quoniam eius caro adhuc ſit quaſi immatura atque inde minus ſana, quod & quotidie in vitulis aliiſque animabus obſervamus, quos vendere ante tres vel quatuor haebdomadas quibusdam in locis non licitum eſt. Hunc iu modum ſi interpretemur, quis negabit, & hac in parte DEVM ſe Medicum Iſraelitis demonſtraſſe. Vtrum vero quod nonnulli exiſtimant, etiam ſanitati matrum lactantium conſuluerit, in medio relinquo.

Ni-

(1) De Viris illuſt. c. 66. (2) Ad Geneſ. IX. (3) Hiſt. Nat. L. XI. c. 38. (4) Conf. Thom. Bartholini de ſanguine vetito Diſq. Med.

Nihil igitur haec morantes, ad alia iam, quae praeter hactenus enumerata, sunt notatu digniora, progredior. Vbi ea quoque in scenam producenda existimo, quae specialiter Iudaeis, impura dicebantur: Personas puta, Loca atque res alias huiusmodi. Personas quas primum nominavi, rursus vel prout in genere considerandae sunt, vel in specie consignabo. Prioris generis sunt Leprosi, de quibus, quamvis Lev. XIII. per totum loquatur Deus, tribus tamen modo verbis h. l. secundum institutum nostrum, praecipua quae sunt, pro ratione scopi, notare possum. Quicquid enim de variis leprae denominationibus afferri possit, id omne a Cl. VAL. HENR. VOGLERO (1) notarum, qui de causa ac origine, variisque aliis accuratissime, ut mihi videtur, egit; ac simul optime observavit, hunc affectum non raro per contagium propagari, & quidem, vel halitu conceptu, unde cit. Cap. XIII. 45. praeceptum erat leprosis, ut illorum vestes lacerate sint, caput nudatum & clamarent in via: *immundus immundus*; ne quis vel prope illos accedat, vel cubaret, vel lectis adstaret, vel ori admoveret os, vel ex eodem poculo cum illis biberet; & cochleari uteretur: Vel etiam vestimentis, quibus vel manus vel partem corporis scabiosam africuerant, vel deterserant: Inde & extra castra vitam degere, quamdiu morbo erant affecti, iussi sunt. Singulare tamen nec minore indagatione dignum est, quod Deus tam mirabiliter Sacerdotes hac plaga liberos servavit, quod peculari gratiae ad officii administrationem requisitae, omnino adscribendum puto. Quae cum ita sint.

(1) Conf. Thom. Bartholini de sanguine vetito Disq. Med.

ſint, propter haecce omnia evitanda in commoda; ſanitatemque aliorum conſervandam Deum haſce leges ſanxiſſe, nemo, qui accuratius modo rem perpenderit, contradicet. Quid de mortuos homines tangentibus dicendum ſit, ex ſuperioribus, facile diiudicari poterit, multum enim tali in caſu horrorem, periculi creare, quotidiana exempla produnt, quam etiam ob rem, ſcil. a tanto diſcrimine ſuos praeſervandi gratia, lotionem impuritatis maxime cordibus iudaeorum, impreſſit, impuroſque ad veſperam uſque iudicare voluit, ut ipſis impuris & aliis horror nullus, effluviis forte adhaerentibus interea prorſus diſſipatis, excitari amplius poſſet. Idemque de tactu aliarum rerum, inſectorum, puta, laceratorum, vaſorum, atque veſtium cenſendum, de quibus omnibus variis in locis, in huiuſmodi caſu, ob cauſas ſine dubio easdem, Deus populo ſuo mandata tradidit.

Explicatis illis legibus quae Perſonis in genere praeſcriptae erant, ſub incudem iam vocandae erunt, quae ſpeciatim Viros ac Faeminas tangunt. Ad primos quod attinet, de fluxionibus laborantes ſe ſiſtunt Lev. XV., 1. ſeqq. iſtiuſmodi defluxiones hodie valde eſſe vulgares, nemini eſt ignotum. Tales vero defluxiones cum ſalſae ſint communiter atque acres, ſaepiuſque hodierno noto Gallicomorbo ſimiles, non ipſis tantum, verum & aliis circa illos verſantibus nocere poſſunt, ut horrorem, ex tactu vel ipſius morbi vel etiam lecti, aut cuiuſque vaſis aut rei, quam tetigi, alterius cuiuſve, oriundum taceam. Multum vero ab hoc affectu ſequens uſ. 16. deſcriptus abit, quippe qui non morboſus, ac proinde etiam ſanis, dor-

dormientibus quamvis, contingere poteſt; aſt impurus tamen maxime, & ſi non abluatur ſemen hocce eiectum, multis aliis morbis & putredini praeſertim occaſionem praebere ſorte poteſt; videtur tamen Deus ex ea quoque ratione, impurum virum hiſce pollutionibus contaminatum, iudicaſſe, ut a libidinibus tanto diligentius ſibi caverent, quae nocte ſomnia, ex libidinoſis cogitationibus orta, excitarent & una cum corpore animum quoque polluerent. Maioris indaginis eſt lex uſ. 24. quae abſtinere a concubitu, cum uxore, ſuo morbo laborante, virum iubet, de quibus menſtruatis foeminis mox infra dilucidius agemus. Cauſam vero huius legis facile agnoſcemus, modo ex tali concubitu promanantia incommoda indicentur. Ea verbis HIERONYMI (1) aperiam: *Menſtrua* inquit, *foeditas eſt, cum per ſingulos menſes, gravia atque torpentia mulieri corpora immundi ſanguinis effuſione relevantur. Quo tempore ſi vir coierit cum uxore, dicuntur concepti foetus vitium ſeminis contrhaere: ita ut leproſi & elephantiaſi laborantes ex hac conceptione naſcantur & foeda in utroque ſexu corpora pravitate vel enormitate membrorum ſanies corrupta degeneret. Praecipitur ergo in lege Domini viris, ut non ſolum in alienis mulieribus, ſed in ſuis quoque certa concubitus noverint tempora, quando coeundum quandove abſtinendum ab uxoribus ſit.* Sed quid opus veterum teſtimoniis, cum hodienum experientia id quoque ſaepiſſime comprobet. Neque ergo ſine cauſa Deus uſque adeo ſevere concubitum cum tali foemina prohibuit, atque nullam legem toties repetiit, ſi quidem de illa Lev. XVIII, 19.

XX.

(1) Comment. in Lament. Ierem. C. I. 356.

XX, 18. Ezech. XVIII, 6. XXII, 10. & leges & querelae divinae de earum neglectu, extant.

Vt vero & ipsa menstruatarum impuritas exque illa oriunda noxa clarius innotescat, iam adductis virorum morbis, ad illam ex Lev. XV., 19. seqq. me converto. Nolo quidem & hic in alienam messem, meam mittere falcem, deque causis atque ipso fluxu mensium muliebrium agere, sed id modo quod mei fori est, indicare, scil. Deum ideo impuritatem hanc lege sanxisse, ut eo magis viri ab his abhorreant, nec ante citato vitio seminis foetum inficiant atque corrumpant quod tanto magis necessarium erat, quoniam libidinosior Iudaeus populus omnium consensu habetur. Non quidem negare possum naturalem esse hunc fluxum ast ideo impurum decalaravit Deus, ut quam optime apud laudatum VOGERVM (1) legimus: *I. quod saepe cum eo corrupti & mali humores expurgentur. II. quod munditiem externam tollat. III. ut Israelitae, quam antea quoque causam esse dixi, talium mulierum concubitum fugerent atque vitarent, quae proinde separabantur toto illo tempore.* Idem fere de Puerperis iudicandum, nec male THEODORETVS (1) causam admodum probabilem refert, his verbis: *Iubet lex puerperam requiescere, utpote quae mirum in modum laboraverit in partu, & fracto corpore sit. Quod si lex hisce verbis simplicibus fuisset concepta, nunquam a Venere continuissent viri; ubi vero mulierem immundam esse didicerunt, communicationem vitabant, ne fierent impuritatis, (& exinde morbi gravissimi) participes.* Ne quid de mulierum ipsarum sanitate, si do-

(1) Ad Lev. XV. 19. p. 122. (2) Ad Lev. XII. 4. ubi stil. haec lex exscripta legitur.

si domi non manerent, labefactanda, dicam, ad quam & Deum respexisse determinato praesertim tam accurato tempore maxime mihi persuadeo. Cur vero Puerperis illis, quae foeminam peperissent, non triginta sed totidem alteros domi dies manendum Deus voluerit, causa manifesta videtur latere, quam & h. l. accuratius perscrutari, non mei sed Medicorum est officii.

Potius eapropter, ordine sic iubente, a Personis ad res alias me converto, & primo quidem vestes specto. Has impuras fieri secundum legem divinam, vel lepra, vel aliis quoque impuritatibus, ex variis Scripturae locis patet. Lepra contaminatas quod attinet, magna industria quomodo id fieri possit, opus esset investigare, quem in campum minime lubet ire, inquirendo. Id tamen monendum mihi incumbet, a quibus ea de re pluribus actum sit, non deesse scriptores. Inter quos celebratum saepius VOGLERVM (1) hac in parte evolvere praecipueris haud poenitebit; Praeteriquem & OSIANDRVM (2) conferendum puto, qui perspicue ex Valesio rem omnem solvit ac interpretatur. Mihi hic satis erit, cur impuram iudicaverit DEVS talem affectam vestem indicare; eam nempe ob causam, quam supra de leprosis hominibus adduxi, ne videlicet contagium homines quoque laederet leprososque redderet. De aliis maculatis, ab immundis hominibus, vestibu quid dicendum ex supra allatis patet, ne nempe homines exinde, si vel tangerent, vel etiam induerent, impuri fierent, & sic contra leges alias Dei peccarent,

(1) L. c. ad Lev. XIII. & XIV. (2) In Comment. ad Lev. XIII. Quaest. ad us. 8. seqq. p. 813.

rent, quae omnia tam facilia intellectu sunt, ut multis ambagibus supersedere possim. Vasa fortassis impura vario modo facta, maiorem considerationem requirent, eo quod distinctio inter Lignea ac Testacea Lev. XI, 32. 33. a Deo sit facta, dum Lignea nempe impura abluenda, Testacea vero frangenda esse praecepit. De modo vero impuritatem removendi iam agendum. Cel. CLERICVS quidem ad cit. locum putat: *Testam succo quodam maligno imbutam vix satis purgari posse; nec dubium quin cadaver venenati animalis, locum in quo computruisset inficere posset*. Ast causam distinctionis cur lignea aqua solum purganda testacea vero frangenda sint, non satis indicanti addendum videtur, ideo id factum esse a Deo, ut & hac in parte prosperitati Israelitarum corporali prospiceret. Vasa enim lignea cum difficiliora praetiosioraque sint, lavare aqua; testacea vero quae & formatu & acquisitu viliora sunt, ut plane e medio removeretur omne periculum, frangi iussit, quam stringentem rationem veramque esse certe credo.

Restant quae de Locis tam Sacris quam Profanis iisque vel publicis vel privatis, notanda. Sic ex Tabernaculo omnes impuri ubique abesse iubentur, ne tota multitudo ibidem congregata vel halitu, vel tactu, vel aliis modis, inficiatur, impuraque reddatur. Quamvis & hic simul sanctum suum Templum sancte ac pure tractatum frequentatumque Deum voluisse omnino non nego. Profana quod attinet loca, occurrunt primum Castra, quae haud dubie ideo ab omnibus excrementis ut Deut. XXIII., 13. praecipitur, purganda erant, ne foetore aer corrumperetur, & epidemici morbi crea-

ren-

rentur. Cum ubique talis foetor sit noxius, & in calido climate potissimum valetudini obesse possit, ut optime notat Clericus ad h. l. Quae de aedibus lepra affectis supersunt, supra ubi de vestibus & de hominibus leprosis dictum est, referenda sunt. Quare cum nulla alia fere supersint, quam quae vel ad hunc scopum non faciunt, vel notatu minus digna, hic subsisto, & si quae occurrant forte praetermissa, ex hactenus dictorum analogia facile intelligi posse, spero. Mihi interim sufficit ex inductione horum, quod institutum erat, demonstrasse, Deumque Legislatorem etiam causas physicas sibi propositas habuisse in plerisque clarissime, in aliis vero satis probabiliter, ostendisse.

Hasce hactenus, circa leges divinas, sanitati Israelitarum consulentes observationes, plurimum quoque in practicis afferre utilitatis, eo magis elucescet, si sub incudem revocabimus, quantum Magistratui tanquam vicario Dei conveniat, illum imitari, talesque semper leges praescribere, non quae animi tantum prosperitatem iuvant, sed & corporis & sanitatis conservationem augmentumque promovent. Cum vero leges circa cibos primum obtinuerint locum, quid circa tales ferendas, hac in parte Magistratui incumbat, dispiciendum erit. Nimirum animalium quorundam esu abstinere, ut legibus prospiciat Magistratus, quorum carnes ad perfectam aetatem nondum pervenerunt, necessarium esse patet. Vnde laudabile est institutum multis in locis, quando vituli ultra tertiam hebdomadam aetate nondum progressi in forum tamen ad vendendum producti, foro prohibentur: immo

etiam, quod in mea Patria obſervavi, aures abſcinduntur, atque vel Danubio immerguntur, vel alia ratione ut venditores ſecum domum rurſus reducant, praecipitur. Notiſſima quoque eſt de porcorum emendorum inſpectione, num grandine morboſa forte ſint infecti, haud illaudabilis conſuetudo, a magiſtratu ordinata, ac peculiaribus viris, iureiurando etiam obſtrictis quibusdam in locis commiſſa. Huc etiam pertinent viſitationes, quae circa carnes in macello inſpiciendas, a perſonis a Magiſtratu ad hocce officium deſtinatis, inſtituuntur: quod & de pane, farina aliſque talibus cibis notandum & exemplis facile comprobandum eſſet. Quo referri poſſunt interdicta peculiaria, quibus piſces, nominatim cancri mortui, pluribus in locis, haud raro cum comminatione poenae, vendi edique prohibentur, ob eandem putredinis morborumque inde conſequentium formidinem. Patet porro quanti momenti ſit curam gerere circa animalium vel ſuffocatorum vel laceratorum carnes, ut peculiaribus hominibus carnificibus puta aliisque, qui talibus exuvias ſubtrahant, committatur; ac cadavera illa e medio removendi labor, ne carnes vel inſpicienti horrorem ſanitati nocentem, vel etiam foetorem incommodum ac noxium, moveant, demandetur. Atque hinc ulterius quid de talium hominum domicilio ſuadendum, infra monere noſtrum erit. Nec negligendae ſunt leges, ſanitati ſubditorum maxime proficuae, quae, ne poma cuiuſque generis, malorum pyrorumque agreſtium praeſertim, prunorum item omnium ſpecierum, nucum avellanarum ac iuglantium & ſimilium, praecipue earum frugum quae

diar-

diarrhoeam gignunt, tempore praesertim pestis decerpantur, illisque vescantur subditi, ferendae sunt.

Atque ita postquam de cibis haec premissa sunt, quilibet facile colligere poterit, quid de potus generibus censendum. Multo enim maior hominum multitudo deprehenditur, qui in potu peccant, quam qui cibo molestiam ventriculo atque sanitati afferant. Proinde Magistratus est officium non solum observare, ne potulenta corrumpantur, sed etiam, ne subditi corporis sanitati nimio potu, noceant. Posteriori ut occurrat Magistratus omnes compotationes periculosae sunt prohibendae, honesta vero convivia ad certum tempus restringenda. De priori vero maxime laborandum, ne vel ordinarii potus veneno aliisque sanitati contrariis rebus misceantur, inebriantibus scil. ex. gr. avena & similibus; vel necessaria requisita in coquendo omittantur, quibus accedit, ne fortiora cuique promiscue genera concedantur. Ad priores evitandos, peculiares, ut de carne observavimus, eligantur personae, quae cerevisiam ex. gr. gustent, ac male coctam iudicatam, doli fundo disrupto effundant, quod alicubi cum ignominia publice factum esse memini, ut sic alii sibi caveant, atque hoc exemplo cautius mercari discant. Fortiores autem quod attinet potus, quos inter excellit vinum ustum, maxime convenit, ut arbitror, Magistratui, ut si ulli rei huic sane maximum imponatur tributum, ut aucto pretio, eo magis homines abstineant, & occasio talibus pro quotidiano potu abutendi, tollatur. Quanti enim sanitati mentis & corporis ex nimia potus huius ingurgitatione decedat, fortior eius ac acrior natura satis edocet.

Idem etiam de Tabaci uſu ſ. potius abuſu dicendum, de quo miranduin, homines tam ingrato fumo adeo delectari, ut non viros modo, ſed & foeminas delicatiores etiam, hoc vitio, cerebro imprimis noxio, & ſiccitatem inducente, laborare deprehendamus. Ne de abuſus peregrinorum potuum, Theae puta, Caffeae, Chocolatae item, aliorumque quid dicam, nam & horum abuſui Magiſtratui convenire, ut interdicat, generalia ſupra tradita docent. Ne quid dicam de venenatis rebus, quarum promiſcua venditio in bene conſtitutis rebuspublicis harum rerum inſtitoribus ſtudioſe prohiberi ſolet.

Sanitati aliorum quoque conſulitur, ſi Perſonae contagioſis, ut vocant, morbis laborantes, a ſanis removentur, atque pie, ne alii pariter inficiantur, ſtudetur. Inde ſubditorum ſuorum amans Magiſtratus curam gerat, ut tales perſonae, quae vel lepra infectae, vel aliis peſtiferis morbis affliguntur, a ceteris ſegregentur, atque extra urbem aut alias loco remotiore peculiari in loco habitare cogantur. Leproſos inde in hunc uſque diem veſtibus peculiaribus incedere, ſingularibuſque ſignis pro eleemoſyna petenda, inſtructos eſſe debere, maxime laudabile eſt. Idem fere accidit tempore peſtis, quando peculiaria in finibus ditionis aedificantur domicilia, in quibus peregre adventantes per quadraginta dies, eum in finem, ut cognoſcitur, numne & illi, qui peſte infectis terris acceſſere, hocce morbo laborent, morari iubentur, (quod vulgo *contumace machen* vocant) ne & hoc territorium vel urbs etiam ſolum, peſte affligatur. Proinde non male conſul-

ſultum eſt, ſi vel finita lue reliquiae ſupellectelis huiuſmodi aedium deſtruantur penitus, vel ſuſpectorum etiam bona, quae ſecum vehunt, ac veſtes in ignem coniiciantur, atque ſic omni ex parte malo praeveniatur. Huc refer, quae de claudendis aedibus peſte infectorum, & huius conſilii iuſtitia diſputari ſolet, de qua re M. IO. PHIL. SALZMANNVS erudite egit. (1) Magiſtratui quoque incumbere, puerperis mandare, ne eo ſtatim vel paulo poſt tempore, quo peperere, egrediantur domo, ſicque ſanitati noxam afferant, non dubito, nam & hic ſaepius foeminae, ruſticae praeſertim, contra ſui corporis proſperitatem agunt, cui occurrere malo Magiſtratus quam optime poteſt ac debet. His denique Xenodochiorum ac orphanotrophiorum praevectos prudentes conſtituendos addo, ut aegrotorum non modo, ſed ſanorum etiam, infantum puta, ac aetate profectiorum incolumitati conſulatur. Quo rurſus, quae ſupra dicta ſunt, repeto, de Medicis experientia claris ac Chirurgis, itemque foeminis, quibus cura morborom foemininorum ex officio demandata eſt, haud inexpertis conſtituendis, nam & hos multum iuvare, & ſi cuivis audaculo homini licentia medendi concedatur, plurimum nocere, neminem fugit. Qua de cauſa vix conceditur, ulli circumforaneorum, ut merces ſuas & medicamenta, antequam peritorum Medicorum examen ſuſtinuerant, vendere liceat. Quo & pharmacopolae referendi nam & horum conditionem & notitiam circa res in pharmaco poliis reſervandas explorare, Magiſtratus vel per alios, vel ipſe debet, & in rebus publicis melioribus ſolet.

(1) In pecul. diſp. Altorffii a. 1681. habita.

Tandem quid circa aedificia monendum addam, prudens nempe Magiſtratus cogitet, quomodo & hac in parte ſuorum ſubditorum ſanitatem conſervet. Vbi & ante omnia de loco, ubi xenodochium ac orphanotrophium aedificanda, circumſpiciat, ubi talis ſemper eligendus, qui nulli in urbe, vel taedium, vel horrorem, vel aliud incommodum afferat, neque etiam cuilibet promiſcue aditus concedatur. Peculiaria quoque hoc vel alio morbo laborantibus habitacula ſive cellulas deſtinare prudenter factum, ne & hac diſtinctione intermiſſa per horrorem alius alium inficiat, ubi denuo aedes peſte infectorum claudendae repetantur. Prudentius vero iudico factum eſſe, ſi valetudinaria extra Vrbem aedificantur, quia, ut ſupra dictum lepra per contagium, vel halitu concepto oriri poteſt. De coemeteriis idem dicendum, ſcilicet ut extra urbem locentur; nam noxii varii halitus aſcendentes ſanitati plurimum derogant, uti quotidiana experientia docet. Eam ob cauſam non omnino laudandum, quod in templis ſepultura concedatur, qua de re vid CL. GVNDLINGIVS (1) ab eaque ſi abſtineatur, prudentius factum eſſet. Hoc etiam eſt, quod de domicilio carnificum ſupra notandum eſſe diximus, ut ſcilicet illis extra urbem locus concedatur, ut eo minus foetor ex ſuffocatis animalibus oriundus, nocere hominibus poſſit. Quibus & alia, v. gr. fimeta, ex publicis viis removenda & plateārum emundatio, quorundam item opificum foetore moleſtorum in peculiaria civitatis loca quaſi relegatio, addere poſſem, niſi brevitati ſtudere vellem.

IOAN-

(1) In Obſerv. Select. obſ. VI.

IOANNIS CONRADI WOLFII

AVRICORONA-FRANCI

DISSERTATIO

DE NIGRIT. AFFECTIONIBVS

PRAESIDE

M. GEORGIO ALBERTO STVBNERO.

M. CEDICII VIRRII SIMILIS

DE PICEIS ELECTIONIBUS

ANALOGORUM LIBRUM I

IOVIANI CONRADI NOTELII

DISSERTATIO II.

De Nigritarvm Affectionibvs.

NOmen Nigritarum a Nigro non ignobili Africae fluvio Eruditorum nonnulli deducunt. Oritur is ex lacu Nigro prope *Zambre*, & ingentem Africae partem 2600. milliaria complexam percurrit, tantaque nonnunquam rapiditate fertur, ut navigia tribus anchoris firmata, impetuose secum abripiat; Nilo ceteroquin simillimus, quem periodica incrementorum, & inundationum vicissitudine adeo exacte refert, ut non minus quam ipse mense Iunio totos dies quadraginta crescat, & circumiectas utrinque regiones pingui illuvie ac coeno obducat, annotante *Ricciolo lib. X. Geograph & Hydrograph. Reform. p.* 430. Huc referenda sunt illa *Volaterrani lib. XII. Geograph. p.* 434. *Aethiopes Nigritae sub Africa minore ponuntur, a Nigro fluvio appellati, cuius eadem est ratio, quae & Nili, iisdem fere temporibus augescit & exuberat.* Et *Cluverii lib. VI. Introd. Geograph. Cap. VI. Divisa fuit Aethiopia in varia Aethiopum genera; quorum Ptolomaeus innumera tradidit nomina. At clarissimi omnium fuere Nigritae, a Nigro flumine dicti.* Alii tamen a Nigredine derivare malunt, propterea, quod illae gen-

tes

tes a reliquis Europaeis aliisque populis nigro & nativo colore distinguantur, a qua sententia non alienus videtur *Casp. Barlaeus in lib. de Reb. gest. C. Mauritii in Brasilia p.* 102. quando, *de Nigritis*, inquit, *quia saepius se scribenti offerunt, hoc exposuisse conducet, populos esse eius partis Africae, quae post Barbariam, Numidiam, Libyam, quarta est, & Nigritarum terra vocatur, nomine, aut ab incolis, qui nigri sunt coloris, aut a flumine Nigro, qui mediam regionem permeat, & Nili instar agros vicinos foecundat.*

Duplex autem occurrit penes Autores nominis huius acceptio, strictior una & generalis ac latissime patens altera. Qui priorem sectantur, per Nigritas intelligunt unius Nigri fluminis accolas, eorumque regiones non tantum a reliquis Africae partibus, Aegypto, Barbaria, Regno Fessano, Maurocano, Algeriano, Tripolitano, &c. sed ab ipsa Aethiopia, tum exteriore, tum interiore discernunt, quorsum pertinent haec *Cluverii lib. alleg. Cap. VII. Dividitur universa Africa in septem potissimum partes sive regiones, quorum nomina sunt haec: Aegyptus, Barbaria, Biledulgerid, Sarra desertum, Nigritae, Aethiopia interior sive superior, quod Abyssinorum Imperium, & Aethiopia exterior sive inferior. Et Cap. XI. Nigritarum ampla est regio, ad utramque Nigri amnis ripam, longitudo eius porrigitur a Nilo & Meroe insula, usque a Nigri ostia, & Oceanum.* Consulatur Descriptio Africae Domini de Cruce sub Tit. *Relation universelle de l' Afrique Ancienne & moderne en quatre parties, par le Sr. de la Croix. Lugduni* 1688.

Qui

Qui alteram eamque generalem & laxiorem ſequuntur acceptionem, phyſice magis quam geographice ſub uno & communi Nigritarum nomine complectuntur omnes iſtos populos, qui tetrica, indelebili, & avita nigredine famoſi, atrum colorem non vultui ſaltem, ſed toti corpori, quantum quantum eſt, ſuffuſum habent, eumque ad ſuos pariter nepotes, ceteris quidem paribus, propagant. Tales ſunt Promontorii Bonae Spei, Ceilonii inſulae, Malabaricae regionis, & plerique Imperii Aethiopici terrarumque quas Niger fl. ex utraque parte alluit, incolae; non tamen omnes, cum multi aut non nigri, aut ſubfuſci, & oleaginei coloris in illis ipſis regionibus inveniantur, teſte *Oleario in Itinerar. Moſcoviae, & Perſiae Lib. III.* Nec vero Africa, quae ſemper novi aliquid profert, ſuos hos foetus continere ſola potuit, ſed magno numero in Aſiam & Europam pervenerunt, atque in ipſam Americam, & Indias Occidentales Braſiliamque ab Hiſpanis, & Luſitanis non ſine quaeſtu tranſvecti ſunt, ubi, *Barlaeo aſſeverante, metallis effodiendis operam dant, & in naturae inclementiam, miſeramque ſervitutem nata mancipia magno aere penſantur.* Et de his omnibus, quemcumque terrarum angulum habitent, loquitur. *Ill. Bylius Experim. XI.* quando ait: *Cauſa nigredinis complurium iſtarum gentium; quas uno communi nomine appellare ſolemus Nigritas, diu exercuit Viros eruditos, qui praeter rem forte non feciſſent, ſi etiam conſideraſſent, cur integrae aliorum praeter homines animalium ſtirpes, vulpium puta & leporum diſcriminentur nigredine, ceteris in univerſum eiusdem ſpeciei animalibus non familiari.*

Quare

Quare cum impraeſentiarum iſtius problematis intricatiſſimi, & longe difficillimi: *quaenam ſit phyſica ac proxima nigredinis illarum Gentium cauſa*, ſolutionem tentaturi ſimus, licebit & nobis ad tanti Viri exemplum generali Nigritarum acceptione nunc & deinceps uti, eo magis, quo plus utilitatis ex hac conſideratione redundaturum eſſe ſperamus. Vt autem in tam copioſa dicendi ſcribendique materia ordo, & delectus habeatur, methodo Viris hodie ſummis, (quorum veſtigia venerabimur, & pone ſequemur) non inuſitata, *primo* phenomena, quotquot vel ipſius experientiae, & autopſiae teſtimonia ſuppeditare poterunt, ſtudioſe colligemus, *deinde* Virorum clariſſimorum hypotheſes, quas in hanc rem meditati ſunt elegantes, & eruditas, breviter exponemus, *tandem* noſtram qualemcunque Epicriſin, modeſte ſubiiciemus.

Vt itaque rem ab ovo, quod aiunt, repetamus, inſignis & h. l. non praetermittenda circumſtantia eſt, quod ex Nigritae maris cum femina Europaea, vel Americana, vel Aſiatica, congreſſu, naſcatur proles ſubfuſca & non raro candida, matrique ſimilior quam patri, (cuius rei exemplum Baruthi Francorum ipſi habuimus) ex conſuetudine autem maris albi cum Aethiopiſſa proveniat foetus ut plurimum niger, aliquando tamen pariter fuſcus, quales poſtmodum infantes atris pigmentis tinguntur & Cingari ſive Nigritae artificiales appellantur. Illud autem admiratione dignum eſt, quod inter Luſitanos ac feminas Aethiopicas (teſte *Piſone*) nonnunquam obſervati ſint gemelli, quorum alter cu-

tem

tem nigram, alter albam habeat, eadem ratione, qua apud Boylium non nemo ex eiusdem corvi nido pullum album & nigrum extraxiſſe legitur.

Meminit etiam mulieris Graecae *Plinius*, quam adulterii accuſatam, quod filium atro colore infectum genuiſſet, a crimine liberatam fuiſſe dicit, cum conſtitiſſet, quod quarto gradu ex Aethiope eſſet procreata. Et ſane id creberrime contingit, ut proles nunc avi, nunc atavi lineamenta exprimat, quemadmodum de femina quadam Sicula, conſtat quod filiam non patri, ſed eiusdem matri exacte ſimilem genuerit. *Vide le Grand Hiſt. Nat. part. VIII p.* 390.

Quod vero Nigritarum geneſin attinet, notatu dignum eſt, eos ex utero materno rubentes, & Europaeis infantibus non adeo abſimiles prodire, intra proximum autem a nativitate octiduum totali nigredine infici, licet Solis aeſtum vel nullum, vel modicum adhuc ſenſerint. Debemus hanc obſervationem *Ill. Boylio*, qui cum ſciſcitatus eſſet ex amico, trecentos Nigritas feminas atque ac mares in America ad colendum agros ſuos, alente, an eorum infantes nigri in lucem ederentur, reſponſum tulit: non ſic edi, ſed prodire eodem fere cum Europaeis colore, & poſt dies non ita multos demum nigreſcere. Atque hoc ipſum ex libro gallico Jeſuitae, in Americam Auſtralem ad convertendos paganos miſſi & Angli cuiusdam *Andr. Batteli*, gubernatoris navium, deſcriptione Regni Africani *Congo* dicti, aliiſque peregrinantium teſtimoniis laudatiſſimus Autor evincit, *exper XI. de Color. p.* 63. 64.

Ne-

Neque vero ille color, poſtquam ſemel invaluit, leviter tantum cuti externae affrictus, aut fuſcus deprehenditur, qualis Aegyptorum & multorum Aſiae populorum eſſe ſolet, aut qualem Solis calor aeriſque iniuriae meſſoribus apud nos ferventiſſima aeſtate diem ſub Sole agentibus, inducunt, quem ſuccedentes Autumni & Hiemis mutationes iterum temperant & abſumunt; ſed nigerrimus & adeo immutabilis, ut quaecumque in climata, vel frigidiſſima transferantur, nunquam tamen penitus albeſcant; longe aliter quam lepores, & vulpeculae in Ruſſiae ac Livoniae oris, quae prius nigrae, vel rufae, vel caeſiae, media Hieme candeſcunt.

Praeterea avita iſta nigredo tam perpetua eſt & indelebilis, ut non modo lotionibus non poſſit elui (unde Aethiopem lavare & oleum atque operam perdere eodem recidunt) ſed vergente etiam ad ſenium aetate & capillis aut excidentibus, aut in canos abeuntibus, nihilo ſecius perſtet, quam diu cutis ſupereſt, cuius rei exemplum ex *Marckravii* libro a *Piſone edito*, *Boylius* annotavit, verba ſunt haec: *Multos vidi* (in Braſilia) *Aethiopes ſenes, barba denſa & totaliter cana, ut & capillis capitis canis. Lepidum ſpectaculum! atra barba, quae incanuit, in nigra cute videtur, quaſi farina eſſet adſperſa.*

Etſi autem ex iis, quae dicta ſunt, colligere facile liceat, in extrema cutis ſuperficie nigredinis huius primordia non latere propterea, quod neque ablui, aut ullo modo tolli poſſit; illud tamen non minus indubium eſt, quod ad interiores corporis partes non pertingat, ſed in-

te-

tegmine cutaneo (quod vocant Anatomici) terminetur. Atque hoc non ſolum in vulneratis advertere unuſquiſque poteſt, ſed, & in Nigrita iuvene obſervavit *Boylius*, qui cum leviter ex variolis aut morbillis laboraſſet, albeſcentes poſtmodum maculas iſtis in locis oſtendebat, ubi tubercula cutem perfregerant. Et *Piſo* ab eodem allegatus aſſeverat, ſe in Braſilia plures Nigritas diſſecuiſſe, & reperiſſe, ipſorum nigredinem non ultra cutem penetrare, qua ablata interior facies ad omnimodam corporum Europaeorum albedinem proxime accederet.

Ceterum quamvis toto corpore deformiter nigricent, dentium tamen albedine reliquos populos omnes ſuperare videntur, naribus praeterea patulis & diſtractis, oculis rutilantibus & flammeis conſpicui. Graviter & nervoſe de illis *Barlaeus: Spirat indomitum quid & efferum gentis eius indoles & inconditis, ut olim Germani, teſtae Caeſare, clamoribus praelia ſua auſpicantur. Irruunt in hoſtem tartareis vociferationibus, & horrendis vultibus, ob panda labra, intermicante dentium candore, oculos flammeos, nares diductas, & ira fumantes. Lib. ſaepius alleg. p.* 95. Qui de Nigritarum & Aethiopum moribus, religione, legibus, linguis, monetis, &c. legere nonnulla geſtit, adeat *Thevenotii Itinerar. per Europam, Aſiam & Africam lib. II. Cap.* 69. *& Anonymi, cuiusdam Galli deſcriptionem Nigritarum, Pariſiis* 1689. *editam*

Poſtquam phaenomenorum praecipua, ad Phyſicam Nigritarum diſquiſitionem pertinentia, pro ratione inſtituti, propoſita ſunt, reſtat ut

Eruditorum hac de re cogitata breviter expromamus, & hypoteſin aliquam phaenomenis inter ſe collatis, reſpondentem, ſeligamus, ſelectam ad obſervationes ſingulas applicemus. Eſt autem communiſſima aeque ac antiquiſſima opinio, atrum Nigritarum colorem a ſolis aduſtione provenire, eo, quod illorum calentium climatum incolae tanto propius ad nigredinem accedant, quanto magis ab aeſtu ſolis, ipſorum vertici imminentis, urgeantur; quemadmodum e contrario Dani, & Angli eo albicantiores ſint quam Hiſpani, Luſitani, & Europaei alii, quo frigidiora inhabitent climata. At enim vero cum haec hypotheſis ita ſit comparata, ut non tantum phaenomenis ſuperius allatis non reſpondeat, ſed etiam a *IV. V. & VI* ultro evertatur, Phyſicis inſuper & Geographis prope omnibus adeo diſpliceat, ut certatim, & velut agmine facto inſurgant, eamque ſolidis exceptionibus infringant, non operoſe eam impugnabimus, ne actum agere videamur, ſed potius Celebb. Virorum de ea ſententias & iudicia in compendio adducemus, ut conſtare queat, ſpecioſam magis eſſe quam probabilem aut cogentem, pluribuſque rationibus elidi poſſe, quam confirmari.

Non autem congeremus huc, quae a priſcis Geographis & inter recentiores ab *Ortelio* copioſe & erudite hac de re monita ſunt, unius ſaltem atque alterius ex recentiſſimis Scriptoribus mentem aperiemus. Incomparabilis Philoſophiae experimentalis Reſtaurator *Boylius* uti in omnibus ſuis Scriptis ingenium non humili loco natum oſtendit, ita de Nigritis pariter accurate & circumſpe-

cte

ste egit, tritamque de Solis aestu opinionem conquisitis expugnavit argumentis. Praecipua eius momenta huc redeunt: Concedit ab aestu Solis, & intemperie aeris istam nigredinem augeri, non ulti mato oriri, idque quia Nigritarum infantes vix tres vel quatuor dies nati, eodem, quo parentes ipsorum, colore sint imbuti, quamvis Solem nunquam viderint. Quia in diversis Asiae locis incolae non sint nigri, sed oleaginei coloris, etsi sub eodem parallelo, vel etiam sub eodem gradu latitudinis, cum Africae regionibus, quas Nigritae colunt, versentur. Quia in ipsa Africa plurimae gentes Imperii Aethiopici non sint nigrae, torridam licet Zonam incolentes, & Aequatori tam propinquae, quam aliae nationes, quae nigrescunt. Quia in America nulli nisi per colonias transmissi reperiantur Nigritae, quamvis novus iste orbis per totam zonam torridam ab uno Tropico ad alterum se exporrigat & maximam Climatum varietatem comprehendat, prout de his & aliis fusius disserit *loc. alleg. p. m.* 59. & 60.

Eandem sententiam iisdem pene rationibus firmatam concise proponit *acutissimus Barlaeus de Brasilia lib. alleg. pag.* 108. *Nigredinem a Solis adustione esse, minus verosimile, cum promontorii Bonae spei incolae nigerrimi sint, Hispani Italique pariter ab Aequatore distantes candidi. Nec minus torret Sol. ad fretum Magellanicum, ubi candent, quam in Africae extremis, ubi nigricant. Qui sub presbytero Ioanne vivant, subfusci sunt, in Ceilonio insula & Malabarica regione nigerrimi, pari tamen intervallo a mundi Linea semoti. Quid quod per universam Americam, etiam ea loca, quae Solis via*

includuntur, *nuſquam nigri reperiantur*, *praeter paucos in loco* Quarecca *dicto*. Quando vero idem laudatus Autor verbis proxime ſequentibus haec adiicit : *Ut potius ad terrae & coeli aeriſque occultas qualitates (ignorantiae prob dolor humanae aſyla) aut hominum innatam & a parentibus acceptam temperiem, aut utrumque referenda cauſa videatur*, nimis certe liberaliter loquitur, cum occultae iſtae qualitates Recentioribus ita ſordeant, ut ipſe *Honor. Fabri*, inſignis alioquin Peripateticus, hanc ſibi legem in Operum Phyſicorum atrio praeforibus ſuſpendit : *In explicandis naturalibus effectibus nunquam ad virtutem ullam occultam, antiperiſtaſin, ſympathiam, anthipathiam, coeleſtes influxus, aliaque huiuſmodi confugio*. Ceterum cum ad hominum innatam, & a parentibus acceptam temperiem deinde provocat, veritatem vel attigit, vel proxime ab ea abeſt, cum ipſe *Boylius* omnibus circumſtantiis intimius penſitatis ad peculiarem quandam, & ſeminalem impreſſionem ultimo recurrendum eſſe ſtatuat.

Atque ita pervenimus ad alteram hypotheſin magna veritatis ſpecie commendabilem, in cuius amplexum ut deſcendamus res ipſa poſtulare videtur, cum non modo ex collatione phaenomenorum ſponte reſultet, ſed Virorum inſuper clariſſimorum ſuffragiis muniatur. Hic autem laude ſua defraudandus nequaquam eſt Celebris quondam Doctor Medicus *Thomas Brovunius*, Eques, qui in magni voluminis ſui parte prima, quam *Pſeudodoxiam Epidemicam* vocat, *Lib. VI.* nigredinis Aethiopum cauſas phyſicas eruere multiplici via feliciter aggreſſus eſt, & cum alios corporum colores

in diverſam receptionem, refractionem aut modificationem lucis potiſſimum refundat, varias etiam res concurrere poſſe exiſtimat, quae corpora nigritarum ita diſponant, ac praeparent, ut nigrum potius quam alium quemvis colorem recipiant. Et primo quidem coniicit ea vel fuliginoſa quadam materia abundare, cuius particulae per poros emiſſae, cutem denigrent, vel vitriolo atramentoſo, & cum humiditate adſtringente coniuncto ſcatere, ex cuius admixtione aliquid nigredini artificiali analogum patiantur, id quod variis exemplis illuſtrat. Ita in febribus ardentibus; & Cholera aduſta nigritiem linguae, dentibus & excrementis conciliari dicit. Ita atramentum pictorium & typographicum ab admixtis vitrioli partibus originem trahere; ita limaturam ferri vitriolo perfuſam, & in acetum cum decocto gallarum conjectam, optimo atramento conficiendo inſervire; ita limonium aut cydonium malum cultro diſſectum nigreſcere; ita a Mercurio dulci, & vitriolo vomitivo ejectionibus nigrum colorem induci, ita ab Aqua forti, quam vitriolum ingrediatur, corpora alba denigrari &c. longa inductione demonſtrat. Atque his expoſitis veroſimile eſſe dicit, primos Nigritas obfrequentiorem aquarum fuliginis aut vitrioli particulis refertarum, uſum nigritiem ſibi attraxiſſe, quemadmodum in Boeotia duos olim fontes obſervavit Plinius, quorum alter oves aquam haurientes, nigras, alter albas dimiſerit. Quod ſi haec coniectura approbata non fuerit, ulterius expendere iubet, annon ater primi Nigritae color cum nigro ictero (ex atrabilis ſuffuſione exoriri ſolito) easdem origines

habuerit, ac deinde cum ſemine propagatus fuerit.

Quicquid vero ſit, illud certum eſt ab Anatomicis hodie oculatiſſmis detectum eſſe in Nigritarum corpore atrum quendam ſuccum mediae & reticulari cutis tunicae copioſe interfuſum, & per cuticulae poros undique, (per microſcopia praeſertim) conſpicuos, fortiter tranſparentem, prout ex ore *Excellentiſs. Domini Io. Maur. Hffmanni Doct. & Prof. P. in Acad. Altdorffina* haurire nobis licuit. Cum enim ante annum, & quod excurrit, ſingulare quoddam extiſpicium feminae per aliquot iam menſes uterum geſtantis, celebraret, in ipſa cutis ſectione inter alia eleganter monuit, reticularem eius tunicam in albis hominibus eſſe pellucidam omniſque coloris expertem, in Aethiope autem anatomicae inquiſitioni ſubiecto, deprehenſam fuiſſe atro quodam ſucco perfuſam. Scilicet in *tres* tunicas dividitur a *Malpigho* tegmen cutaneum. *Prima* eſt pellicula exterior, ſive cuticula, tenuis, denſa tamen, & cutis ſubiacentis ſubſtantiae cohaerens, variiſque poris diſtincta, per quos ſudoris vaſcula extremis ſuis orificiis prominent. *Altera* eſt corpus reticulare, eiusdem circiter craſſitiei ac linguae media tunica, intra cuius foramina ſeu areas crebriora ſudoris vaſcula continentur, quae una cum papillulis a ſubiacente lamina emergentibus ad cuticulam terminantur. *Tertia* denique eſt ſubſtantia fibroſa, ex arteriarum, venarum, nervorum, ac tendinum extremitatibus contexta, quibus multae glandulae miliares, vaſis ſuis excretoriis ſeu ſudoriferis inſtructae, interponuntur, cum pyramidalibus papillulis, nervis continuis & ſudoris vaſculis, ad cuticulam penetran-

trantibus. Harum laminarum media, quam *reticularem* appellamus, atramentoſi illius ſucci ſemina continet, & quamvis in albis hominibus radios lucis egregie tranſmittat, ſi ſoli vel candelae ardenti opponatur, in Nigritis tam tetrica eſt, & terribilis, ut radios omnes irretiat, & imbibat, ſuamque nigredinem nunquam facile iterum deponat. Nec mirum eſt, quod unicus hic ſuccus, ſive ex fuliginoſo ſulphure, ſive ex vitrioli particulis conflatus ſit, totius cutis texturae, tantam coloris mutationem inducere poſſit, cum Americanum quendam fructum viderit *Boylius*, cuius ſuccus manibus, & cuti largiter ſuperfuſus ſuccineam nigredinem, nulla arte aut labore ante octo vel decem dies eluendam inducebat, ex iisdem forte particulis compoſitus.

His fundamenti loco poſitis, phaenomenorum, quotquot ſuperius allata ſunt, rationes non poſſunt amplius eſſe obſcurae, multo minus inexplicabiles, ſed exdictis partim ſponte fluunt, partim nullo negotio deducuntur. Quia enim in eo Recentiores pene omnes conſentiunt, quod unius cuiuſque prolis rudimenta in peculiaribus ovulis & compendiis feminalibus exacte delineata ſint, quae deinde ab energitico, & ſpirituoſo maris ſemine foecundata, ex ovario per ductus ovales hoc aevo detectos, ad uterum deferantur, ibique tamdiu nutriantur, creſcant, & turgeſcant, donec foetus ad maturitatem perductus, emittatur; ratio utique eſt in propatulo, cur matrem Aethiopiſſam magis quam album patrem, & albam matrem magis, quam patrem Nigritam referre ſoleat progenies, quippequae praeter organorum

partiumque ſtructuram, ipſa nigri illius ſucci primordia ex materna potius, & compendioſa in ovulo delineatione, quam ex paterni ſeminis affuſione retuliſſe dici poteſt. Quod autem una eademque mater duos infantes album unum, & nigrum alterum eodem tempore ediderit, eius rationem aliam coniicere non poſſumus, quam ſi ſupponamus, quemadmodum ad omnes gemellos producendos, duo pecularia requiruntur ovula, ex ovario in uterum transferenda; ita hoc in caſu, diverſa duoovula interventu generoſi, & elaſtici ſeminis, in uterum delata fuiſſe, quorum alterum vel ob internam ſui diſpoſitionem, vel ob externam quandam impreſſionem, atri illius ſucci primordia aut non admiſerit, aut iterum amiſerit, alterum vero eadem firmiter retinuerit.

Et hoc pacto explicari etiam poteſt, quomodo mulier Graeca ab Ethiope antiquum genus ducens, peperit Nigritam, cum aliqua ſaltem in alterutro eius ovario deliteſcere potuerint ovula, atri illius ſucci primordia aut rudera potius ex impreſſione ſeminali avita adhuc continentia, ſi praeſertim imaginationis efficacia non intervenerit. Quod ſi autem deinde perpendamus, tam ſtupendam eſſe imaginationis vim, ut non ſolum Spiritus in corpore ad varios, & inordinatos motus concitare, ſed, & easdem impreſſiones e praegnantium corporibus in embryonum corpuſcula, per placentam uterinam, & vaſa umbilicalia continuo veluti ſpatio transfundere atque humoribus mire inter ſe commotis agitatiſque, certos colores inducere poſſit, illis etiam ſatis fiet exemplis, quae de matre alba ex ſolo Aethiopis intui-

tu

tu Nigritam & alia, ex inſpectione lapillorum infantem maculis rubentem, enixa, ſi vera ſunt hauſimus. Certum enim eſt & ſexcentis obſervationibus comprobatum, per ſolam matrum incuriam miſeris embryonibus nonnunquam extrema quaeque accidere, ut nunc coloribus deformiter tingantur, nunc integris membris turpiter priventur, quemadmodum, & hoc a rerum naturalium Scriptoribus obſervatum eſt, ſi matres caepis aut fabis intemperanter veſcantur, aut vino ſe ingurgitent, aut tabaci fumo utantur foetus produci hebetes ac ſtupidos, Q. illi *Metello* comparandos, cui *Scipio*, ut eſt apud Ciceronem, ſtomachatus dixit: Si quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram.

Nec illud amplius obſcurum eſt aut conceptu difficile, quod Nigritae primo in lucem prodeant fuſci potius quam nigri, poſt aliquam vero temporis moram ſenſim nigreſcant quandoquidem in infantibus non modo atri illius ſucci ſemina per totam cutis reticularis texturam, in anguſto illo ergaſtulo, ex quo nunc demum aegre proveniunt, libere ſe diffundere non potuerunt; ſed praeterea, externae cuticulae pori nondum ita concinne elaborati ſunt, ut ſibi invicem reſpondeant, & tranſparere interior nigredo ſine obſtaculo poſſit, quin potius ab aere ſubtiliore, eos pervadente, poſt exiguum temporis intervallum, lente diſtendantur, ut radios lucis poſtmodum aut abſorbeant, aut introrſum reflectant. Immo ſi quis in phyſicam illius rei cauſam inquirere vellet, cur infantes plerique omnes, eo ipſo momento, quo lucem primum aſpiciunt, ſubita vociferatione ſuam quaſi

nati-

nativitatem prodant, ad eiusdem aeris externi poſſeſſionem recipere ſe forte poſſet, qua non corpora tantum valide urgentur, ſed & quod praecipuum eſt, arteria aſpera & pulmones ab impulſu hoc in utero ante immunes, ita irritantur, ut tenelli re adeo inſolita correpti, in ſubitos clamores erumpere cogantur.

Quia vero porro ex noſtra hac hypotheſi reticularis illa cutis atrum & nativum ſuccum penitus imbibit, concipi facile poteſt, cur nigredo non modo lotionibus tolli nequeat (quippe quae cuticulam ſaltem attingunt) ſed etiam cur Nigritae in haec climata frigidiora translati non in totum albeſcant, quia ſcilicet Solem non interiorem cutem mutant, & quod ab aeſtus praeſentia non acceperunt, ob eius abſentiam non deponunt; ſicuti, & e contrario populi albi in terras Aethiopum delati, ad colorem indigenis proprium, eadem de cauſa nunquam delabuntur. Illud tamen probabile videtur, etiam in noſtris regionibus Nigritas, habitu iſto nigro undiquaque circumfuſo, maiorem caloris vim perſentiſcere, quoniam experientia conſtat manum chirotecae nigrae immiſſam, & ſoli expoſitam, fortius incaleſcere, quam ſi in albam intrudatur, & ſerica nigra de feneſtris ſuſpenſa calorem profundius admittere, quam alba; quamquam generaliter aſſerere non velimus, nigra corpora reliquis omnibus facilius calefieri, cum repugnare videatur *P. Franciſc. Eſchinardi* experimentum, qui, cum, duorum thermometrorum aequalium, alterum vino, alterum atramento immerſiſſet, & utrumque Soli eodem tempore expoſuiſſet, eundem caloris gradum

in

in ambobus perpetuo notavit, de quo *vid. Act. Erudit. loc. cit. p.* 8.

Et quamvis ventorum aerisque intemperies non tantum apud nos peregrinantium vultus fusco colore frequenter imbuat, sed etiam in Mesopotamia calidus quidam ventus, incolis *Samiel* dictus, tam penetrantem, & sulphureum halitum viventibus afflet, ut vita pulsa, & suffocata corporibus horrenda nigredo inducatur, utraque tamen mutatio cum Nigritarum colore nihil commune habet, siquidem illa ab externa cutis adustione, & corrugatione, haec ab interna intestinorum corrosione, & totius massae sanguineae corruptione dependet, prout de hoc vento videri potest *Thevenotii Itinerar. part. II. Capit. XII. part.* 78. At vero ille succus a quo Nigritarum colorem oriri toties diximus, ad interiores corporis partes, & intestina se nequaquam diffundit, sed intra cutis limites constanter permanet. Aliis tamen corporibus maior, aliis minor eius copia inesse potest, cum inter ipsos Nigritas adeo inaequaliter dispensatus sit color, ut qui sub Presbytero Ioanne vivunt, subfusci, in Ceilonio vero insula, & Malabarica regione nigerrimi deprehendantur.

Quod autem capillis in canos degenerantibus nihilo secius perstet hereditarius ille color, ex eo sine dubio provenit, quoniam alimentarii istius succi, ex quo crines nutrimentum accipiunt, & huius, a quo nigredo deducitur, diversa est ratio. Quando enim inclinante ad senium aetate capillorum extremitatibus succus nutritius magis, & magis subtrahitur, arescunt & exsiccantur capillo-

pillorum lamellae, radioſque lucis, quorum ante plurimos abſorpſerant, cum humiditate adhuc abundarent, aliter reflectunt, quo pacto fit, ut eadem ratione, qua ſpicae ad ſegetem maturae, aut pili quorundam animalium hiberno tempore, aliquam coloris mutationem ſubire videantur. Huius autem ſucci nigricantis particulae, cum in tenuem reticularis tunicae laminam ſe intime inſinuaverint, arctiſſime coeunt, & inter ſe concreſcentes, eandem poſitus, nexus, figurae, &c. conſtantiam perpetuo ſervant. Et quamvis indefinentem minutiarum tranſpirationem aeque ac reliquae corporis partes abſque dubio patiantur, a ſanguinis tamen fuliginibus, & excrementis, omne illud impendium reſtaurari commode poteſt, cum in ipſis animalibus, ſanguis tanto propius ad nigredinem accedere obſervetur, quanto longius ipſa ab albedine & nitore recedunt. Quia tamen ſudoris vaſcula altero ſui orificio ad cuticulam, altero ad fibroſam intimae cutis expanſionem pertingunt, non video, quomodo huius ſucci, inter utramque cutem medii, particulae per ſudorem excerni & imminui magnopere poſſint.

Quemadmodum denique illud difficultate prorſus caret, quod de fulgentibus Nigritarum oculis & albis dentibus ſuperius dictum eſt, ſi praeſertim cogitemus, ob circumfuſam undique, & undique nigritiem dentes tam copioſum lumen reflectere, & oculos ob politam corneae ſubſtantiam inſtar ſpeculorum fulgorem prae ſe ferre, utroſque autem, ſi in albi hominis vultu collocari aliquantiſper poſſent, minus candicantes & minus fulgentes apparituros eſſe; ita his omnibus ſuppoſitis

fitis ac declaratis nec mirum amplius esse debet, quod interna partium organicarum structura non tantum in Nigritis eadem sit, ac in aliis, sed etiam toto cutis involucro resecto & ablato, nulla nigredinis vestigia amplius compareant, cum illud hactenus identidem inculcatum fuerit, ultra tunicam cuticularem atri & nativi istius succi particulas non penetrare, sed per naturalem Nigritarum ex Nigritis propagationem, & impressionem seminalem in membranam, quam diximus reticularem, hereditario quodam iure ac more primtius infundi.

Quis vero Nigritarum omnium fons ac parens fuerit, a quo tot nigri nepotes longa serie ad haec usque tempora descendant, anceps & lubrica est controversia. Equidem in hypothesi *Boyliana* aut *Brovuniana* in eum longius inquirere superfluum foret, cum utraque supponat, primos Aethiopes non una aut simplici ratione, praeter spem atque opinionem nigritiem contrahere, & ad posteros adem facilitate transmittere potuisse, qua ex calvis calvos, ex distortis distortos, ex macrocephalis macrocephalos gigni *Hippocrates* observavit. Sed ingeniosus ille peregrinator *Dn. Sandys* & recens quidam Criticus doctissimus, (ita utrumque laudat *Ill. Boylius*) in ipso S. Codice patrem huius hominum generis se inveniisse existimant, nempe *Chamum* Noachi filium, quem, cum in paternam eamque vehementem ac tragicam increpationem incurrisset, hoc pacto poenas dedisse, & indelebilem malitiae suae notam posteris inussisse statuunt. Enim vero ut ut haec eleganter dicantur, nondum tamen evidenter constat quomodo ex illa Patris exe-

cra-

cratione firmiter evinci possit, Cananaeis Chami posteris nigredinis characterem impressum fuisse, cum nihil indigitetur aliud, quam Chamum Servorum Servum i. e. vilissimum, & abiectum fore, eiusque progeniem sub iugum duramque servitutem a Semi posteritate redactum irr. At vero tantum abest, ut Nigritae nativum suum colorem sibi probro ducant, aut ad maledictionem referri patiantur, ut potius pro ornamento habeant, & albi homines ipsis non minus ludibrio sint, quam nobis nigri; siquidem iis non modo inter suos nullum sepulturae locum concedunt, sed etiam Cacodaemonem non nisi album pingunt. Ceterum si vel primum universi Nigritarum generis parentem neque hactenus investigatum, neque forte imposterum inventum iri, largiremur, nihil tamen praesenti instituto decederet, cui physicam, & proximam nigredinis illarum gentium causam, non universalem supernaturalem, & remotam aperire propositum erat.

DIS-

PAVLI GVGLIELMI SCHMIDT

BREGA-SILESII

DISSERTATIO

DE PRAESTANTIA MALORVM CITRIORVM IN MEDICINA

PRAESIDE

FRIDERICO HOFFMANNO

LEXICON HOLLANDICO

DISSERTATIO III.

De Praestantia malorvm Citriorvm in Medicina.

ADmirandae corporis humani machinae, quales quantasque ſtruat atrox Morbona inſidias, quis eſt, quem lateat? ſive enim morborum *intuearis* multitudinem, ſive eorum ineffabilem penſites varietatem, ſane immenſa ſtupori tuo ſe ſiſtit amplitudo, identidem ſanitati noſtrae lacunam minitans. Sic inter minime ſperandos, ſed maxime cavendos valetudinis hoſtes prodit exitioſum virus, deteſtabile venenum, ex qualicunque etiam trium regnorum ſcaturigine profluens quod tam agiliſſimae eſt indolis, ut profecto exili licet mole, potenter tamen ac celerrime ſpiculis ſuis ſalinis ſumme cauſticis, telis illis intoxicatis ſolidorum pariter ac fluidorum penetralia, pervadere, horum accuratiſſimum aequilibrium deſtruere, ſicque commercium animae rationalis (ut vitam hominis veteres Philoſophorum haud incongrue definiunt) tollere capax ſit. Sed quanto etiam morborum ac ſymptomatum exercitu & σύνδρομη inexpiabilis Morbona genus humanum debellare audeat; quanto etiam pernicioſo torturae apparatu miſeram mortalium naturam *inva-*

dat, Natura tamen naturans D. T. O. M. valvas iam armamentarii, en inſtructiſſimi! univerſae puta materiae Medicae, nobis reſeravit, ex quo arma ad profligandos ſanitatis hoſtes capaciſſima depromere poſſumus, obſeſſo corporis humani caſtello ſuppetias laturi. Et haec inter arma, haec inter efficaciſſima, inquam, auxilia, quae imprimis potentiſſimis noſtris inimicis, venenorum puta atrociſſimis viribus omnium maxime machinae noſtrae interitum parantibus, reſiſtere valent, primario fulgent titulo MALA CITRIA, tota quanta alexipharmaca & teſte *Etmullero Colleg. pharmacevt. in Schroeder. pag.* 426. omnibus theriacis, methridatiis ac confectionibus magiſtralibus longe praeferenda, quod etiam ipſa Diſſertatio curatius in ſcenam eſt productura, & quibusdam de ſtupenda fere eorum virtutis alexiteriae efficacia hiſtoriis forſan dilucidatura. Inſignem interim pomorum horum praeſtantiam, adeo antiquitas iam venerata eſt, ut tantum abeſſet, ut eſu ea conſumerent, ut potius dulci tantum eorum delectarentur fragrantia. Conf. *Plin. Hiſt. nat. Lib.* 12. *c.* 3. *C. Bauh. Pin. p.* 435. Imperatores ac Conſules Romani erubeſcebant aurea haecce poma comeſtura dilapidare, ſed ut maxime pretioſa ea amantes pro paſtu oculorum epulari ea aſſervabant, vel ad plurimum illis ut medicina fruebantur. Perſae perſuaſi erant ſe nec fame nec ſiti, praeſentibus tantum pomis Citriis, perire poſſe, ſed hiſce ſolis abſque alio adminiculo vitam poſſe vivere perfectiſſimam. Boeotica gens mala haecce, a Iove primum fata, putans, Herculi litavit; imo gentilium fere plerique necdum

inven-

invento thure ſacra facientes, hiſce diis ſuis adoluere. Ipſa amorum Dea Paphia Citria ſibi cum Heſperidum hortis ut ſacra vindicavit, pro gratiſſimis temporum ſuorum divitiis, pro amoeno amoris pignore, proque digniſſimis donis nuptialibus ea aeſtimans. Spartanis Idola ſua, conſueta devotione veneraturis, ea Citri frondibus coronare ſolenne erat. Iulius Caeſar ſub poteſtatem redacta Gallia mortalitatis limites tranſcendens, ſpretis palmis & lauris, ſertum ſibi victorialem ex Citri foliis impoſuit, ut teſtis horum omnium eſt incomparabilis Lohenſteinius Armin. part. 2. l. 2. p. 342. & 343. Et quid antiquitas? Nonne, modernis noſtris magnatibus (haud dicam omnis conditionis homini) Citria ſunt in maximis deliciis?

Malum in Hellade μῆλον nuncupari, ibique pariter ac in Latio genus fructuum deſignare, cuius caro eſculenta, nec duro admodum includitur putamine, cuivis facile innoteſcit, noſtra autem mala, quae in praeſentiarum accuratiori, quo fieri poterit, penicillo adumbranda ſuſcepi, vario ab Autoribus ſalutari ſolent nomine, frequentiori, & in officinis receptiori appellatione audiunt mala Citria, uti pariter vult *Galenus L. 7. Simplic.* dicens: non amplius malum Medicum, ſed abomnibus Citrium appellari aſſolere, item *Iſidorus Origin L. 15 c. 7.* & *Hofmannus in Schroederum §. III.* Citrium dici debere exigunt, quod ſcilicet a colore corticis nomen ſit adeptum, omiſſis recentioribus Botanicis; vel mala Citrea vid. *Palad. ſingulari de Citreis capite*, & *Macrob. L. 2 Saturn c. 15.* alioſque, aut uno verbo Citra ab arbore nimirum Citro. Allis dicuntur mala Medica, a ſolo Me-

dorum illis olim patrio, verum mihi liceat potius hoc nomen derivare, ab insigni eorum, qua scatent, virtute medica, & sic appellare tota quanta medica. Ab aliis nuncupantur Persica, ut etiam a dicto *Macrobio*, item Assyria, *Plinio* tamen. *L.* 12. *c.* 3. de arbore id magis intelligente, utrumque nomen itidem a patriis laribus sumitur. Ab aliis Citromela vel Graece κεδρόμηλα ut a *Dioscoride Lib.* 1. *c.* 166 quod scilicet secundum *Theophrastum* arborem Citrum cedri foliis putarent. Aliis ea placet nominare Citrones, quod tamen *Rauwolff.* potius de arbore quam de fructu intelligit. Aliis mala Critinata ut *Tabernaemontano p. m.* 1385 *Matthiolo Comment. in Dioscoridem p. m.* 204. Citromala dicuntur. Aliis poma Adami, Mala Citroniata, Ponceria, Melangula, Citrangula, quae tamen nomina de certis generibus potius itelligenda, & de quibus distinctius paragraphis sequentibus differendi dabitur occasio. *Virgilio* placuit *L.* 2. *Georg.* fructum nostrum appellare felix malum; & saepissime apud Autores aureorum pomorum nomine salutari assolet, uti plus vice simplici apud laudatum *Lobeesteinium Armin. Part.* 2. *L.* 2. praesertim dum asserit Consules ac Imperatores aurea poma in ciborum usus trahere erubuisse, quod in annotationibus ad *Plinii Hist. natural.* confirmatur his verbis: Fructum huius arboris (nempe Citri) aureum malum dictum volunt, cuius etiam meminit Orphaeus crepundia Bacchi & supellectilem infantum enumerans:

Κῶνος, κὴ ῥόμβος, κὴ παίγνια καμπεσίγυια
Μῆλα τε χρύσεα καλὰ παῤ ἑσπερίδων λιγυφώνον.

Sed haud diutius immoraturus sum ὀνοματολογίας

γίας criterio, si imprimis *Galeno* fidem dare animus est *L.* 3. *de differ. puls. c.* 1. affirmanti: de nominibus laborare est operam ludere; lubet itaque definitionem *Dioscoridis* fructus nostri adducere, quae ita se habet, quod scilicet sit malum oblongum, rugosum colore aurum imitans, cum gravitate odoratum, semen habens pyri. Sed cum haec definitio non aeque mihi arrideat, & haud sufficiens etiam videatur, aliam substituere non incongruum erit, sit igitur talis: Malum Citrium est fructus plerumque oblongus interdum tamen etiam sphaericus, cuius cortices foris ex auro flavescunt, intus pallent, exterior eorum superficies est inaequalis, porosa, saporis subamari, acris, odoris suaveolentis, sub quibus continetur succus aliquatenus flavescens acidus per loculamenta varia plerumque 7. 8 9. succi, & vesicularum pelluci darum plena dispositus, in quibus sparsim latent grana vel semina pallida oblonga, ventricosa obtusa quae sub putamine albo, & adhuc una pellicula ruffa molli, & tenui includunt nucleum mollem albicantem saporis amaricantis aromatici.

Verum enim vero cum varietate sua, varium & animo & oculis nostris foenerent mala Citria delectamentum, eorum differentias pariter examinare, ac perlustrare consultum iudico. Satis autem manifeste ea differre advertere est, primo ratione magnitudinis & formae, secundo ratione saporis & denique ratione substantiae, quae differentia maxime ex maturatione, & diversitate regionum solique petenda est, vid. *Valent. l. c. pag.* 306. Magnitudine quidem adeo ludunt, ut quaedam Melonum adinstar increscant, & haec sunt

praeprimis illa, quae ex insulis maris Adriatici adportantur, observante *Tabernaemontano p. m.* 1365. quaedam mole sua quoque Melopepones aemulantia, plane pondus decem librarum adaequant, annotantibus *Cardano* & *Gesnero* ap. *C. Bauh. Pin. Theatri bot an. p.* 435. haec autem succo fere depauperata esse dicuntur, & ex Liguria & Adriatici Aegeique pelagi insulis originem trahunt conf. *Matthiol. Commentario in Dioscor. p.* 205. maxima cum *Valentino l. c.* dicuntur poma Adami apud *Casp. Bauh.* Ponzires secundum *Caes.* appellantur, qui haec a Citriis melopenonis magnitudine distinguit, & Ponzires inter Limonem & Aurantium ambigere asserit haecce poma palato non aeque arrident, ob pulpae tamen copiam in officinis desiderantur saccharo vel melle asservanda. vid. *C. Bauh. l. a.* porro dantur Melangula dicta quae praedicto Autori sunt fructus ingens tuberosus & *Caes.* Citrangula. Monachi vero in *Mesuen cap. de oleo e pomis Citranguli*, hoc nomine non duntaxat Citria, sed etiam Aurantia, & Limonia intelligenda esse, cupiunt. Alia superioribus sunt minora, & vel maiora, vel minora Limoniis, haec svasore *Tabernaemontano l. c. & C. Bauhino Pinac. l. c.* ex lacu Benaco adportantur & in cibis potissimum expetuntur. Et sane adeo variat eorum forma, ut alia praelonga, alia rotundiora sint, uti quotidie in splendidissimis hortis sub speciali nomine *Orangerie* nobis cernere licitum est. Liceat hic inserere observationem *Ephemerid. Germ. N. C. A. III. Observ.* 261. ubi Citrium parvum in alio Citrio ut foetus in matrice, repertum est. Conf. similis

ob-

obſervatio in *Muſaeo Wormiano p.* 206. Ratione ſaporis alia etiam ſunt dulci medulla quale *Ferrar. Heſper.* 73. annotat, ex eo pariter *Tournefort. Inſtit. rei herbar. p.* 621. quod me tamen iudice erit forte Pomum Sinenſe, ſeu pome de Sine, alia acidiori. Quibusdam tandem tres duntaxat ſtatuere placet differentias malorum Citriorum utpote ſunto: Limonium, Citrium κατ' ἐξοχὴν ita dictum, & Poncerium. Limo ſeu Limonium putatur, quod eſt oblongioris figurae, & ex herbaceo colore viret, ſuccoque turget acidiore, acerbiore ac frigidiore, cortice ſatis tenui. Citrium quod colore magis eſt luteo, cortice rugoſiore, ac craſſiaore, hincque ipſum craſſius & odoratius, Poncerium quod, & Citroniatum, Pomum Aſſyrium, Pomum Adami, ſalutatur, ſupra reliqua magnitudine eminet, melonum modo orbiculatum eſt, cortice calloſo, carnoſo, pollicem nonnunquam craſſo ſuperficieque concolore, deſcribente ſic Renodaeo in Diſpenſatorio medico.

Aſt non meo duntaxat levi arbitratu, verum & celeberrimorum Botanicorum ſententia adſtipulante, male confunditur Limo cum Citrio malo, utpote diverſo fructus genere, quamvis *D. Behrens Select. diaetet. pag.* 113. putet, vix inter mala Citria, & Limonia eſſe diſcrimen, atque Limoniam arborem ex Citri genere pronunciet. Vulgus alias haud diiudicare ſolet Citria, & Limonia, unumque pro altero expoſcit, licet, ut rectiſſime animadvertit *Simon Pauli in Quadripart. botan. p.* 59. *edit. Fickian.* & ſapore, & magnitudine, & qualitatibus aliis a ſe invicem differant. Quidam, ut ſaepius obſervare licet,

Limonia nil niſi immatura eſſe Citria ſibi imaginantur, ſed falſiſſime diverſa enim ſunt, ut iam dictum quoad magnitudinem & ſaporem, imo colorem & ipſam ſubſtantiam, maxime quoad characterem folii. Limonia, teſte *Raio methodo plantarum emen. p.* 153. ſunt fructus minores cortice tenuiore; Citria, maiores plerumque, & longiores, & cortice craſſiore; Limonia, ſucco acidiore, & pulpa copioſore, coloreque ex viridi magis flaveſcente pallido; Citria vero non ita. Affirmat etiam hanc differentiam Muſaeum Wormianum l. c. his verbis: Neſcio qui factum, quod Noſtrates Limoniis Citriorum dent titulum, multum enim inter ſe diſtant, tam magnitudine, quam ſucci, & pulpae quantitate, ac ſapore, corticum quoque craſſitie, & viribus. Ab Aurantiis vero ſecundum *Raium l. c.* differunt Citria, quod nimirum ſint maiora, longiora, pallidiora, corticeque craſſiore, imo, adde, alio plane odore, colore, ſapore, & hinc haud accurate depinxiſſe *Renodaeus Lib.* 1. *Sect.* 6. *c.* 4. *Inſt. pharmac.* mihi videtur, dum inquit: idem eſt (arboris ſcilicet in qua naſcuntur aurantia) color, odor, flos &c. Interim tamen & in hoc variare ſaepe numero cernimus; rectiſſimam vero & plenariam diſtinctionem hos inter fructus exhauſturus eſt ſubſequens capite ſuccedente character.

Inter ſpecies tandem, quae in antecedentibus etiam iam attactae, enumerantur. I. Citreum vulgare *Tournefort. l. c. p.* 620. & 621. *Ferrar. Heſperid.* 61. II. Citreum magno fructu *Tournefort. l. c. Ioh. Baub* 1. 94 *Volkamer. Flor. Norimb. p.* 276. *Iob. Parckinſon. Theatr. botan. Anglice conſcr.*. III. Ci-

trium

trium fructu ingenti tuberoso *Tournefort l. a.* C. *Bauh. Pin. p.* 435 *Volkam. l. a.* eoque annotantea quibusdam Citrangula, Germanice *Citronaten* dicta. IV. Citrum fructu mediocri *Ioh. Bauh.* 1. 94. V. Citrium Corcyraeum, ab insula haud dubie Corcyra ita dictum *Ferrar Hesp.* 58 annotante *Tournef. l. a.* VI. Citrium Cretense *Tournef. l a.* ex *Ferr.* pariter forte a loco natali insula Creta VII Malum Citrium dulci medulla *Volkham. l. a.* ex *Ferrar l. a.* IX etiam hic annectendum censetur Limonium Citratum quoniam laudato *Volck.* hoc non sub Limoniis, sed potius malis Citriis collocare placuit, confer de hoc etiam *Herm. Hort. Acad. Lugd Batav.* X. Tandem malum Citroniatum, seu Assyrium ac Poncerium, mole sua reliqua superans, ac melonum modo orbiculatum cortice carnoso, pollicem nonnunquam crasso, superficieque concolore uti describit *Behrens Select. diaetet. p.* 32. *&* 33. *&* *Renodiaeus dispensat. medico.* Quod tamen idem esse censeo ac *Tournefortii l. c. & C. Bauhini* Citreum fructu ingenti tuberoso. Erunt equidem, quod non diffitendum, plures adhuc Citriorum species, praeprimis in hortis hinc inde splendidissimis reperiundae, sed omnium acquirere notitiam difficile fuit.

Defunctum iam & *ονοματολογίας* & differentiarum, specierumque tractatione ad ulteriora etiam memet accingere praestabit, investigaturum scilicet malorum Citriorum patrios lares. Hic autem Persiam, patriae praerogativa gloriantem, comperio, atque volentem poma haec, (quae Alcinoi Hesperidumque hortos reddidere adeo celebres) in suis duntaxat terris esse indigenas aliis vero in

oris

oris profectos hoſpites. Ex Perſia, & Media in Aethiopiam, hinc vero ſub Atlantem & in Cyrenem urbem translata feruntur, Heſperidumque hortos (liceat hic in antiquitatem Gentilium aliquatenus excurrere) ob huncce theſaurum, pro ſanctuario a dracone, invidia puta, cuſtodito, habitos, fuiſſe. Hercules vero, cui Prometheus conſilium mala illa impetrandi dederat, interfector draconis illius, a Iunone ad cuſtodienda aurea poma illuc demandati, in orbe proclamabatur, quoniam inaeſtimabiles hoſce fructus primus in Italiam, & Graeciam tranſportaſſet: & hanc ob cauſam ſtatuam eius aeneam, Romae, in foro boario, tria ferre Citria; huiuſque ad exemplum imagini Alexandri magni quoque unum pomorum horum in manum caelatum eſſe putantur. Imo non ſolummodo Mauritania, & Cyrene, verum & omnis regio, cuius ſolum poma haecce tantum progerminantia vidit, ſibi poſſeſſione Heſperidum hortorum blandita eſt. Et Atlas, Mauritaniae Rex, hortos ſuos, fructu illo ſuperbientes, altiſſimis muniviſſe montibus dicitur, quoniam Themis divinaſſet filium quendam Iovis ipſi quaedam fore ablaturum. Qua de re vide celeberrimum *Lobenſtemium Arminii ſui l. c.*

Mediae iterim ſtrictae ſic dictae, etiam natales ſuos debere mala Citria, plurimi autem conſentiunt, eoque magis veritati conſentaneum videtur, cum appellatio malorum Medicorum hinc ſuam trahat derivationem, ſic *Virgilius L. 2. Geor. gic.* Mediam ferre felix malum, i. e. Citrium, refert. Malus Medica, & Aſſyria dicitur, utroque nomine a regionibus ducto, inquit *Theophraſt.*

L. 4.

L. 4. Hiſtor. annotante *C. Bauh. Pin. p.* 435. Malus Medica aſſerit *Plinius L.* 12. *c.* 3 non niſi apud Medos, & in Perſide naſci voluit. Notandum enim, eius aevo non fuiſſe in Italia, ut ipſe ibidem teſtatur his verbis: tentavere gentes transferre ad ſeſe, propter remedii praeſtantiam, fictilibus in vaſis: ſed, ut dictum, niſi apud Medos & in Perſide naſci noluit, & quamquam eo adductae, magnaque cultorum ſolertia fuerint enutritae, tamen diu hoc in ſolo vivere nequiverunt; non enim omnis his ferendis conveniens, nec omnis fere omnia tellus ut *Poeta Virgilius I. Georg.* canit, plerumque loci genius eſt advertendus, non minus ratione ſoli, quam coeli ac aeris, ſic Citrus coelum amat calidius, uti pariter alia ex oris remotioribus ad nos advecta aromata. *Clauderus Diſſert. de Tinctura univerſali c.* 5. *pag.* 225. aſſerit: aromara aliaque innumera ſub noſtro climate non creſcere, ob radios ſolares magis opacos & ſteriles, & cuique regioni, inquit *Levin. Lemn. L.* 1. *c.* 17. *de occult. naturae miracul.* certae herbarum ſpecies ſunt peculiares, ſuiſque natalibus ſingulae ſtirpes delectantur. Ex nullo alio fonte etiam Alpes Belgicae, obſervante praedicto *Lemnio l. a.* omnigenas ſtirpes proferunt, in locis illis arenoſis ſponte emergente, nulla cura, nullaque hominis induſtria. Cum itaque tanta ſit vis, & ſoli, & caeli, palam eſt, quare plantas exoticas, in hortos noſtros translatas, aut prorſus non aut difficulter tamen progerminantes ſpectemus, aut, ſi laborioſus cultus has eo deducat, non aeque cito, ut in patriis ſuis pulvinis, nec ad eandem emergant proceritatem, multum interdum de priſti-

nis

nis ſuis viribus remiſſae. Multum igitur huc culturae ſedulitatem conferre, ſatis elucet, quae & cauſa, ut, quae olim ſolo noſtro aſſueſcere nolle viſae ſunt plantae exoticae, ſedula atque aſſidua cultura, huic tamen aſſuefactas eſſe videamus: non autem ex nimis longe petita ratione *Digbaei Tract. de pulvere Sympat.* attrahere ſcilicet plantas atomos ex locis ſuis patriis, licet interdum vel remotiſſimis.

Et ſic etiam ſucceſſu temporis, cum omnem tranſplantandi hoſce fructus moviſſent lapidem, ſed fruſtra: Palladius tamen primus coltu ac diligentia ſingulari effecit, ut arbores Citri, ex Media in Italiam translatae, ibidem proſilierint, ſeque propagaverint, ubi ſic ſemel translatitiae factae, tantam com Italo ſolo iniere gratiam, ut non modo in maritimis, verum, & in mediterraneis tum hortis, tum viridariis, tum nobilium lacum ripis frequentiſſimae feliciter germinent, ut & Regnum Neapolitanum hoc germine ſucceſſive gaviſum eſt. Poſtea & Hiſpania earum poſſeſſionem adepta eſt, & ad propagationem adeo frequentem deduxit, ut nemora ac campos occupare coeperint teſte C. *Bauh. Pin.* 435. In ſpecie Regnum Valentia tanta gaudet Citrorum abundantia, ut praeprimis circum circa amoeniſſimam eius, & ab ipſis Hiſpanis formoſam dictam Metropolin, Valentiam, iucundiſſimas conſtituere porticus (*Alleen*) cernantur, obſervante *Hiibnero in Geographia ſua*. Sic pariter, Galliam illis iam iam gloriari, conſtat. Et hiſce igitur ex locis, ingens malorum Citriorum ubertas hodie ad nos quotannis deferri aſſolet, in ſpe-

cie

cie loca copioſe haec porrigentia, eſſe aſſerit *Valent. l. c. p.* 306. S. Rennes, Niſſa, & Manton oppidum quoddam Sabaudiae. Germaniam autem noſtram non minus praeſenti ſaeculo amoeniſſimo hocce fructu ſuperbire, tantus magnificorum, ſplendidiſſimorumque hortorum numerus, ubique teſtatur luculenter. Etenim ubi tantum magnatum, imo privatorum, introeas viridaria, ſtatim Citrorum nitidiſſimarum, Italas & Hiſpanicas efacte aemulantium, ſerie quadam ſuperbe ſplendente (quam hodie Gallico idiomate *Orangerie* exprimimus) & oculum & animum paſcere poteris. Exemplo ſe ſiſtant horti celebres, & fere Alcinoi dicendi, tantum quos proprio oculo luſtrare licuit, ut Gedanenſes, Berolinenſes Wratislavienſes, Lipſienſes, Naumburgenſis, Ienenſes, praecipue Reinekianus, Wittembergenſis, Altophinus, Norimbergenſes, &c. Citri fructibus ſuis Italis ac Hiſpanicis palmam reddentes dubiam.

Plantam porro poma noſtra progerminantem, eiuſque characterem conſideraturo ſtatim occurrit ſat evidenter, eſſe arborem fructiferam, non nimis proceram, Aurantium ac Limoniorum plantas magnitudine aequantem. *Virgilio L. 2. Georg.* Lauro ſimillima viſa eſt, ita enim canit:

Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima Lauro;
Et, ſi non alium late iactaret, odorem,
Laurus erat . . .

quamquam autopſia ſatis manifeſtam demonſtret diſparitatem. Collocatur ſecundum *Raium methodo plantar. emendata p.* 153. inter arbores, quarum flos baſi fructus cohaeret, fructu polypyreno, h. e plura uno ſemina ambiente, pomo maiore,

ſive pomiferas non umbilicatas, fructu corticoſo, pulpa in plurimos lobos diviſa conferatur adſentiens *Rudbeck Diſſert. de fundamentali plantar. notit. p.* 42. Ipſa arbor omnibus anni temporibus pomifera eſt, aliis nimirum cadentibus, aliis ſubnaſcentibus, aliis adultioribus, aliis matureſcentibus, ramos habet flexiles, ſpinoſos, viridique libro veſtitos. Lignum eius etiam a quibusdam Citrum vocatur, praeſertim ex Mauritania adportatum, & unde pretioſas Romani conficiebant menſas. *Conf. Plin. L* 13. *c.* 15. item *Martial. L.* 10. *epigr.* 43. & in ſpec. *Farnab. notae ad hunc locum*, item *Lucan. L.* 9. *verſ.* 426. *& ſeq.* delectati forte illo, quoniam, & colore & odore, ſe commendare videmus, hinc etiam *Oppius* forte apud *Macrob. c.* 14. L. 3. & Citrium & θύαν (i. e. arborem odoratam) vocatam arborem putat, & de illa verſum hunc Homeri exponendum:

"Ειματα δ' αμφιέσασα Θυώδεα σιγαλόεντα.

Folia autem quod attinet, ea hic etiam, ut *Eman. Koenig. Regn. vegetab. p.* 60. inquit, ſunt plantae ornatus, orta ex corticis cui adnaſcuntur, ultima fibrarum deſinentia, praeſente nodo umbilicari. *Plin. L.* 12. *c.* 3. autumat, arboris huius folium eſſe unedonis folium intercurrentibus ſpinis: aſt ad recentiorum Botanicorum examen reductum, eſt folium ſimplex, planum, nervoſum, margine integro, foraminibus viſum fere effugientibus, ubique veluti acu tenuiſſima punctim traiectum, perpetuoque virens, quod hinc etiam laudatus *Lohenſtein. l. a.* dixerit, immarceſcentia Citri folia immortalitatis imaginem ſignificare, Mediſque (uti pariter & nobis hodie) eſſe ferculorum orna-

men-

menta , adde & condimenta. Saepius enim obſervare mihi conceſſum , coquos ad parandum certum ferculum , *boeuf à la mode* dictum folia Citri adhibuiſſe. Verum quod arbor noſtra , uti & aliae huius generis , comam ſuam nitide virentem perpetuo retineat , ratio mihi videtur arceſcenda , non tam a ſoli atque coeli temperie ac diverſitate , ſecundum *Coſtaeum de univerſ. ſtirp. natur.* quam potiſſimum a pingui , reſinoſo , tenaci , nec aeris iniuriis facile parente , in qua reſidet quaſi calidum innatum , ſubſtantia. Obſervamus enim , ſi eadem ſit tenuis & aquoſa , facillime perniciem pati atque marceſcere , & ſic pro diverſitate illius ſubſtantiae noſtris etiam in terris cernere licet , alias plantas comam ſuam deponere citius , alias tardius , alias retinere prorſus. Exemplum praebet inter alia Aizoon , quod in ipſis etiam hypocauſtis ſuſpenſum , ſuum ſervat virorem , qui alias confeſtim evaneſcere ſolet , in plantis a terra , ceu a matre ſua , avulſis , alimentoque ſic ſuo orbatis. Pari ex ratione allata , pinguis puta atque viſcoſae ſubſtantiae , perennem quoque oſtendant virorem arbores reſiniferae , ſimilique gaudentes natura , uti arbor Thuris , Lentiſcus , Terebinthinus , Balſamus , Cupreſſus , Cedrus , Pinus & id genus aliae lata ſerie a *Bellonio in ſuis obſervationibus* recenſitae.

Characterem ulterius quoad florem delineandum eſſe , & ratio , & neceſſitas , diſtinctioris plantarum cognitionis ergo , poſtulat , non enim flores ſolummodo ſunt quaſi gaudium plantae , atque futuri veris ſpes , ut notat ex *Heſiodo Zacut. Luſitanus Oper. Tom. II. p.* 78. & ex his *Eman.*

Koenig. l. c. ſed ſunt praecipui indices, quibus mediantibus & genera & ſpecies plantarum diiudicaturi ſumus, ſtirpibus dati ſunt, ut fructum plerumque, ceu uterum cum ovo, includant ac foveant, donec ille paulo firmior, & ad aeris inclementiam tolerandam fiat aptior. A *Virgilio Lib.* 2. *Geogr.* olim dicebatur: Flos apprime tenax; quid vero per florem tenacem (niſi ſubſtantiam eius tenacem) intelligat, me quidem latet, curioſius tamen Lector in *annotan. ad Plin. Hiſtor. natur. ad Victorium c.* 8. *obſerv.* 32. id diligenter explicantem ablegantur. Iuxta *Tournefortium l. c. p.* 620. & 621. Citrium eſt plantae genus, flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis, conſtante, ex cuius calice ſurgit piſtillum, quod deinceps in fructum abit. *Matthiolo l. c. p.* 204. & 205. deſcribente Citrus flores edit ſubpurpureos, ſolidos, calathi effigie, capillamentis quibusdam e medio emergentibus. *Dahle Pharmacolog. p.* 436. floribus calathoidibns arborem Citrum praeditam eſſe aſſerit. Normam autem recentioris & accuratioris Botanices methodi ſecutus, brevem characteris delineationem trado talem; quod nimirum Citrus habet florem perfectum, ſimplicem, pentapetalum regularem, exterius aliquatenus purpuraſcentem, interius vero albicantem, odorem, haud ingratum, ſed ſuaveolentem, ſpirantem.

Navantibus vero operam noſtris in terris fructus illos adipiſcendi, id primo plerumque feliciſſime ſuccedit in vaſis fictilibus, ſemina ſcilicet malorum Citriorum terrae inſerendo, unde menſis ſpatio, imo citius egregie proſiliens planta ſeſe oculo noſtro ſiſtit, quae tum non minus exper-

tum

tum, quam ſedulum ſui requirit cultorem, qui omnem gerat curam, ut quam optime adoleſcat, ad inoculationem evadat aptior, & ſic fructus nobis foeneret exoptatiſſimos; ſecundo etiam malorum Citriorum poſſeſſione potimur, advehendo ſcilicet aliis ex locis, ut ex Italia, Hiſpania, & aliunde iſpos ſtipites iam adultos, eoſque noſtro demandando ſolo. Vtroque modo ſedulo obſervandum, ut plantae huic delicatiori, proſpiciamus terra quadam recenti & putrefacta, qualis ſpeciatim etiam ex lignis corruptis gigni aſſolet, imo pingui & non exarefacta, quod praecipue experientia comprobatum affirmat *Schwimmerus delic. phyſico-hortenſ p.* 83. & 148. aſſerendo nimirum: Citriorum & Aurantiorum arbores terram exigere pinguem, quae optime paratur ex iumentorum cornubus emollitis, ſi nimirum haec in aquam quandam mucilaginoſam redigantur, hacque ipſa humectetur tellus, quod eandem evidenter pingue-facit, fructuſque maxime promovet. Non minus etiam ſolum tale, fimo equino, columbino, & gallinaceo impraegnandum, terraque quotannis renovanda eſt, arbores enim haec ſuccum & humiditatem omnem nutrititiam imbibunt, ut tandem terra remaneat nutrimento orbata, & ſterilis, licet etiam illa, alias utilis, accedat terrae evolutio, quae humidum aereum, ad nutrimentum alioquin harum arborum multum conferens, liberius admittit. Locis tandem ſolaribus, ubi potiſſimum reflexio radiorum adeſt, exponendae ſunt, quo ſic continua fere aeris temperie calida frui poſſint, calidum enim & humidum amat Citrus annotante etiam *Lohenſteinio l. c.* & boream, au-

ſtrum, etiam ac mare averſatur; praecipit *Schwimmerus l. c.* omnes arbores exoticas, ex Italia vel Hiſpania advectitias, ſi bene ſuccedere debeant, aqua tepida eſſe irrigandas, & inoculationem Citrorum non ſtatim initio veris eſſe ſuſcipiendam, ob ſufficientem ſuccum nutritium tum temporis adhuc deficientem.

Cultis ſic, & impetratis pomis illis nitidiſſimis, eorum etiam aſſervationi ſtudendum eſt, quae tamen non de fructu, arbori adhuc inſidente, intelligitur, hanc enim cultura modo praemonita, ad perfectionem pomorum uſque inſtituta ac continuata, aſſequimur, ſed de fructu iam iam ab arbore decerpto, & in futurum uſum aſſervando; modum autem confervandi & a corruptione praeſervandi *Columella* praecipit talem, aſſerens nempe: omne pomum quod in vetuſtatem reponitur, cum pediculo ſuo, & ſi ſine arboris noxa fieri poteſt, etiam cum ramulis legendum (haec enim res plurimum ad perennitatem conferre fertur.) Hoc ingens nobis documentum ſuppeditat quod mala Citria, Aurantia, &c. ex Heſperia ad nos, annexis adhuc ramulis, advecta, longe vegetiora ſint illis, ſolo pediculo inſtructis, pediculo vero etiam deſtituta facillime omnium corrumpi obſerventur, vid. *Simon. Paul. Quadripart. botan. p.* 424. De duratione porro malorum Citriorum, aliorumque fructuum horaeorum ex inſtituto egit *Apicius Caelius in art. coquin. L.* 1. *cap.* 18. 19. 21. hunc vero egregio *commentario Gabriel Humelbergius* ex variis Authoribus, ut *Plinio*, *Columella*, *Paladio*, *Conſtant. Caeſare*, illuſtravit. Diutius incorrupta aſſervantur annotante *Dom. Behrens Select.*

Diaet.

Diaet. p. 113. 114. Si ſcilicet poma Citria hordei vel milii acervis obruantur, adde cum *Valentino l. c.* paleae immiſſa & in cellam ſiccam repoſita, quod, & quotidiana luce apud italos, ea venum exponentes, obſervare licet, ſic & *Schroeder. Pharmacop. c.* 29. *p.* 71. videtur aſſentire, dum fructus v. g. poma, frumento, ſcilicet hordeo, imponenda & ita collocanda eſſe, ut pediculi deorſum, flores vero ſurſum ſpectent, ſuaſor eſt.

Selectus deniquè pomorum noſtrorum, ſi inſtituendus, cum *Dom. Behrens l. c.* eligenda quidem eſſe concedo minora, ut carnoſiora, & quae potiſſimum circa Genuam creſcunt, interim tamen & mole grandi, & facie pulcherrima ſeſe commendantia, non minus apprehendenda, cum plerumque haec, aeque ac altera, pulpa ſat foecunda ſcatere cernamus. Virentia magis quam exauro flaveſcentia, ſegreganda, quoniam virore illo immaturitatem produnt, & hinc ut imperfecta, ſeponenda potius, quam ad Medicos aut etiam cibarios uſus trahenda. Cortex ultimo tenuior etiam notam characteriſticam ſuppeditare valet, cum de magis ſucculenta carne, & flavedine delicatiori teſtetur.

Perpenſis hactenus ad malorum Citriorum conditionem magis externam ſpectantibus, intimius etiam iam iam eorum viſcera, diſtincta quadam analyſi perſcrutari, vireſque ſalutares eruere, animus eſt. Cum autem maxime ſe initio prodat odor, quaſi index utilium nutrimentorum & inutilium iuxta *Magirum Commentar. in phyſiolog. ſuam L.* 6. *c.* 9. *p* 5. 49. hic etiam aliquatenus examinandus erit. De colore enim flavo & vi corticum antii-

ćterica, ſecundum *Ioh. Batp. Port. Lib. de Phytognom.* exinde haurienda, ſilere, quam vanitatem cumulare praeſtat. Latitat vero odor in corticibus (nam his mediantibus odoriferum eſt Citrium) qui eſt fragrans & mirifica ſuavitate ſua nares olfacientium recreans, conſtans, ut omnis odor ſuavis, natura ſua, ex particulis ſalino ſulphureis, volatilioribus, ſubtiliſſimis, flexilibus, glabris, obtuſioribus, balſamicis, quae eminentias papillarum nervearum narium molliter & blande contingunt, & ſic titillationem quamdam efficiunt gratam, quam per odorem ſuavem exprimimus, qui nervos ſimul penetrando ſpiritus animales roborat & auget vide Excellentiſſimi *Dom. Dom. Teichmeyeri, Patroni, hoſpitis, ac Praeceptoris mei, omni amoris ac pietatis conamine proſequendi, Amoenitates Philoſophiae naturalis p.* 49. Concludendum autem exinde ſatis aperte I. cortices noſtros eſſe temperamenti calidi & ſicci, aſſentiente etiam *Hoffmanno Clau. Schroederian. p. m.* 444 & quidem ob particulas ſuas ſulphureas, aromaticas oleoſas volatiles, adde & inflammabiles, quoniam cortices recentes verſus candelam ardentem preſſi, oleoſitatem quamdam ſubtiliſſimam reſpergunt, iucundo ſpećtaculo ſe inflammantem, quod ut mihi ſaepius, ita & cuivis tentanti, ſuccedet. II. Reperiri in illis vim attenuandi & incidendi, ex tenui atque volatili eorundem ſubſtantia natam, quam exalabilis fragrantia prodit. Palam itaque eſt praeſtantia Citriorum ex odore oriunda, &, ſi verum eſt, homines vixiſſe ſolo odore, prouti Democritus ſeptuageſimum annum agens panis odore vitam triduo protraxiſſe, Philoſophus quidam,

ſolo

ſolo mellis odore vitam ſuſtentaſſe, alius in carcere ex nidore carnis aſſatae, quotidie ipſi oblatae, ſervatus fuiſſe, feruntur, annotante *Magiro l. c. p. m.* 553. etiam ſtatuere licebit ſolum odorem Citriorum noſtrorum ad vitam longam producendam eſſe ſatis capacem.

Succedit iam ſapor, is vero cum ratione partium fructus noſtri variarum, & ipſe varius ſit; alius nimirum corticum, alius pulpae, alius ſeminum, ſingularum quoque cenſuram ſigillatim ſuſcipiendam eſſe reor. Acredo corticum, uti acidum pulpae, & amaror ſeminum, neminem guſtu id explorantem fugiet, praeſertim Medicum, qui iuxta *Galenum* guſtum habere debet exercitatum ut coquus & ex his de qualitatibus ſolidius quidem, quam ex odore, formari poteſt iudicium. Cortices acres teſtantur manifeſte de calore, cum ex particulis igneis oriatur ſapor acris, adeoque, quo quidacrius, eo exquiſitioris caloris notam arguat, exemplo Pyrethri, Laureolae, Piparitidis, &c. Non tamen tanta cortices hi pollent acrimonia, ut laedant, & modum excedant ſed temperata ſaltim, ſtatim ſe ſub lingua exerente, & ex qua caliditas in ſecundo gradu cenſeri aſſolet. Sic & acrimonia illa virtutis attenuandi, reſolvendi, & incidendi, index eſt, etenim cum particulis conſtet volatilibus, ſulphureis, hae vero non calefaciant ſolum, ſed & attenuent, incidant ac intimius penetrent, hae qualitates haud ipſi denegandae erunt. Pulpam vero illam internam carnoſam, pellucidam, refrigerandi pariter & humectandi, imo attenuandi, & reſolvendi virtute praeditam eſſe, ſuccus eiusdem acidus evidenter

demonſtrat, qui ſapore ſuo guſtantium linguas, & de priori, & de altero certiores reddit, acida enim maxime refrigerant, & humida humectare vix in dubium revocandum; acida vero attenuare mucumque reſolvere, autor eſt *Dolaeus Encyclop. Chirurg. rational. L. 5. p 474.* Seminum tandem amaror manifeſtus, calidae naturae manifeſtum quoque ſuppeditat argumentum, & hinc vires calefacientes, attenuantes, incidentes, merito ſeminibus attribuendae, uti & ſuo modo vis adſtrictoria, quae fere amaris communis eſt illis iure tribuenda, de quibus tamen omnibus, in paragraphis ſequentibus, ſpatioſior ſe aperturus eſt diſſerendi campus.

Inſtituendum itaque eſt ſpecialius examen; &, cum mala Citria variis gaudeant partibus, quae ſingulae diverſum agnoſcunt temperamentum, ſingularum quoque virtutes ſpeciatim ſcrutandae venient. Liceat autem cortices, ut primo conſpicuos, primum etiam aggredi, atque, methodo quidem anatomica duce, quales in ventre ſupremo; ſeu capite, vires exerant, inquirere. Hic igitur in genere cephalicam, & tandem nervinam illis adſcribere virtutem, haud iniquum erit. I. Enim ſunt aromatici, aromata autem omnia ſunt cephalica & nervina, quoniam fibras cerebri, meningum & nervorum roborare, eorumque tonum collapſum erigere valent. II. Sunt ſuaveolentes; ſuaveolentia vero omnia itidem ſub cephalicorum cenſum trahenda, quoniam ſpiritus animales recreant, augent, atque reſuſcitant, ut propterea in Apoplexia, Syncope, Lipothymia, & capitis debilitate, ad confortandam memo-

riam,

riam, ſingulari cum ſucceſſu, teſte *Hermanno* Cynoſ. *mater. med.* 92. adhibeantur: ſic *Excell. Wedelius Amaenit. mat. med. p.* 210. Eſſent. cort. Citr. nervinis addit; *Rivinus diſſert de medicamentor. propriet.* §. 8. excitantibus, quae adverſus torporem ſpirituum valent, illos annumerat. Etenim ut ſpiritus excitentur, inquit, & ad motum reducantur debitum, irritamento opus eſt, id vero praeſtant inter alia, ſapore ac odori forti, & fragranti gaudentia cortices Citri; & hanc porro ex ratione aquam apoplecticam, multaque generoſiora medicamenta cephalica, & nervina quorum catalogum hic contexere non una ſufficeret plagula, ingrediuntur.

In ſpecie ſunt apophlegmatizantes, quoniam partibus ſuis aromaticis volatilibus lympham viſcidam, in excerniculis capitis ſtagnantem, incidunt atque reſolvunt, & ſic e capite per nares materiam peccantem evacuant, ſi verbi gratia Eſſentia vel ſpiritus ex iis paretur, & ut aqua ptarmica Langii, ſeu Eſſentia Maiorantiae, interne & externe adplicetur. Ita a *Wedelio l. c. p.* 462. apophlegmatizantium includuntur ſeriei. Inter maſticatoria quoque militant; ſtimulant enim glandulas ſalivales, ſua, qua pollent, acrimonia, hinc ut maſticatorium egregium in foetore oris commendatur a *Wedelio l. c.* item *Borrichio Tract. de uſu plantar. indig. in medic. p.* 28. Cortices potui infuſi, ſeu quoque manducati, bonum odorem efficiunt. *Behrens Select. diaet. p.* 114. Decocto corticum Vino, ſi os eluatur, anima foetida corrigitur, & dentium vigor conſervatur, ſuadente *Tabernaemontano p.* 1365. & *Mathiolo Commentar.*

in Dioſcor. p. 205. Conf. & *Plinius L.* 12. *c.* 3. hunc uſum proceribus Parthorum ſolennem fuiſſe, affirmans; huc ſpectat etiam locus Virgilii *Lib.* 2. *Georg* canens:

Flos apprime tenax, animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Vt maſticatorium balſamicum proſunt in morbis malignis, imo peſte, ad defendendum a malignitate. Medicus quidam Hamburgenſis ex propria ſua praxi in peſte affirmat, ſe tum temporis non niſi cortices Citri recentes manducaſſe, & ſic feliciſſimo cum ſucceſſu, ſuſpectas etiam, imo infectas ingreſſum eſſe domos, cuius & ſalutaris remedii ipſe recordor in peſte Gedanenſi uſurpati.

Mediae cavitati ſolatium redundat ex corticum inſigni, & in vulgus nota virtute cardiaca, κατ' ἐξοχὴν enim ſalutandi ſunt cardiaci, quatenus vi ſua balſamica, principia vitalia & ipſos ſpiritus, fibraſque cordis motrices roborare, ſanguinis circulum conſervare & reſtituere, atque miaſmata contagioſa diffiare ſolent. Sic *Excellentiſſimus Dom. Praeſes Diſſertat. de medicament. ſelect. §.* 22. *p.* 26. inter praeſtantiſſima roborantia & confortantia refert cortices noſtros. Conf. etiam *Ettmullerus Colleg. pharm. in Ludov. p.* 394 Et cortex leniter deraſus vinoque infuſus, ubi lipothymia ingruit, mirum dictu quantopere proſit, affirmante *Simon Paul. Quadripart. Botan. p.* 59. In virium languore, praeter eorum praeparata interne adhibenda, externe carpis manuum, nec citra fructum, adplicantur, cui & aſſentit *Pancov. Herbar. portatil. p.* 22. aliique. Sic. *Iuncken Chym. ex-*

peri-

perimental. p. 448. inter cordialia externa, quae externa, quae ſpiritibus reficiendis potiſſime ſuccurrunt, epithema aliquod cordiale maxime commendat, quod cortices Citri, uti pariter eius flores ac folia, ingrediuntur. Merito huc etiam refertur praeſtans eorum vis bezoardica, qua, ex ſuperius allato fundamento, conſpicua ſunt; hinc in morbis malignis, contagioſis, &c. quam optime adhibentur, ſic *Timaeus a Giildenklee L.* 6. *epiſt. medic* 10 *ad filium tranſcripta p.* 413. in condiendis funeribus Balſamatori trochiſcos de cortice Citri, praeſervationis ergo, commendat, & inter pulveres ſparadrapis, pro involvendo corpore, inſpergendos, cortices Citri ad libram unam recipit. Idem facit *Sebizius diſput. de conditura cadaverum. Wedelius l. c. p.* 320. pariter in ordinem bezoardicorum cortices collocat. Et ſane optimas compoſitiones bezoardicas, quavis etiam forma paratas, prolixitatis tamen evitandae ergo hic omittendas, ingrediuntur, aſſentientibus omnibus Practicis, qua de virtute tamen, ubi de toto Citro acturus ſum, plura.

Infimo ventri cortices noſtri proſpiciunt praeprimis virtute ſua ſtomachica, cum, principio aromatico, ad calorem ventriculi conſervandum ac reſtituendum, tonumque pariter eiusdem deſtructum erigendum, faciunt, & hinc in ſtomachorum ſyllabis a Medicis non infimo collocatur loco vid. *Wedel. l. a. p.* 156. *Borrich. l. c. p.* 28. qui in ventriculi debilitate a pituita nimia maxime commendat cortices Citri; ſic cortices conditos convenire ventriculo, atque digeſtionem pariter ac appetitum promovere, aſſerit *Schroede-*

l. a.

rus Pharm. p. 935. *edit. in fol.* assentit *Behrens l. a.* In vomitu, & nausea gravidarum *Ludovic. Mercat. Tom.* 3. *L.* 3. *c.* 11. magnis extollit laudibus sequentem formulam. Recipe Semin Anis. Cortic. Citr. aa. drachm. unam. Pulv. ros. rub. Corall. rub. Margarit. ppt. Elect. de Gemm. ana Scrup. unum Sacchar. q. s. M. F. Tabellae cum aqua ferrata. Porro virtute carminativa, & specifica anticolica pollent, ex tenui ac calida eorum substantia oriunda, qua intestinorum flatulentias dissipant, borborygmos sedant, ac pituitam viscidam poros intestinorum obstruentem, resolvunt, hinc in colica passione, a flatibus maxime orta, multis nihil frequentiori in usu quam soli cortices pulverisati, quod affirmat *Pancov. l. c.* multique alii, praeter experientiam quotidianam id comprobantem. Sic pariter virtute antihypocondriaca praediti sunt. Insigne enim hoc in malo solamen pollicentur, cum variis indicationibus satisfaciant, non aliunde etiam quam ex dicto principio calido, volatili, aromatico, resolvente, & deostruente, hinc & in obstructionibus pancreatis & mesenterii reserandis auxilium praestant. Vis antiscorbutica etiam ipsis non neganda, est quatenus virtute sua balsamica volatili, ad acrimoniam in scorbuto fixam acidam, tartaream, temperandam, resolvendam ac e sede sua movendam, idonei sunt. Ne dicam vim etiam cortices hos obtinere diureticam, quae non parum auxilii scorbuticis afferre possit, quae virtus tamen magis toti Citro inest, utpote ex quo, maior, isque insignis, & praestantissimus fructus impetratur, de quo in sequentibus. Vir-

ture

tute tandem antifebrili non deſtitutos eſſe, ex allegatis ſaepius agendi principiis conſtat, & experientia celeberrimorum Practicorum confirmatur. *Dolaeus Encyclop. ſua dogmat.* in febribus malignis frequenter adhibet laudatos cortices uti & eosdem iuter vermes pellentia adſciſcit ibid. *p.* 581. alii tamen in intermittentibus maiori eos efferunt laude. Sic in quartanis etiam ex corticibus cum ſpiritu vini parata Eſſentia laudari ſolet, propinanda cum aqua Meliſſae. Petroſel. Puleg. &c. Virtus interim haec efficaciori adhuc modo ſeſe manifeſtabit in pulpa ſeu ſucco iam iam delibando.

Conſideratis ergo corticum viribus, ſucci etiam cenſuram facere, inſtituti ratio poſtulat: huius vero indolem porro brevibus attingere volumus. Scatet quippe acido, & quidem blando, non ingrato, volatili teſtante etiam *Schroedero*, & *Dolaeo*, *Ettmullero*, *&c.* Quod quidem ultimum, niſi aliunde ex effectu palam fieret, vel exinde ſaltem coniiciendum, quoniam ſuccus talis acidus expreſſus, in vitro, negligenter tamen a me clauſo, aſſervatus, ſpatio aliquod hebdomadarum, omnem fere amiſerat aciditatem. Acidum vero hocce interim ſat penetrans eſſe, vel hoc demonſtrat, quo *Sim. Paul. l. c. p.* 59. annotet: fruſtulo pulpae acidae aceto iniecto illud magis aceſcere, & ad ſolvendas margaritas ſuccum hunc adhiberi, ut, pariter Tincturae Coralliorum parandae inſervit. Vires autem, ſi priori ordine indagari debent, obiter annotaſſe ſufficiet, certo fine ſuccum adhibitum, cephalico etiam uſui inſervire poſſe, inter epithemata ſcilicet, in capitis dolore a cauſa calida, u-

ſur-

ſurpatum ; item interne ad ſanguinis motum p. n. inhibendum. Sic *Meſues* annotante *Thabernaemontano* Syrup. acetoſitatis Citri in vertigine commendat, atque ebrietati reſiſtere, affirmat, refrigerat enim & aeſtum mitigat. Porro externe eſt egregium abſtergens, & ſmecticum, ſexus foeminei delicatioribus maxime commendabile, ſordes enim & mucorem, in poris cutis haerentem, abſorbet & mundificat, hinc & commendatur in lentigine, ſerpigine, puſtuliſque faciei, confirmante etiam *Pancovio l. c & Schraedero l. c.*

Cardiacam virtutem poſſidere ſuccum, extra controverſiam puto eſſe poſitum, quatenus nempe, ut bezoardicum generoſum, malignitatem expellit, &, ut refrigerans, aeſtum intempeſtivum coercet. Hinc *Sydenham de febrib c.* 4. *p.* 31. inquit: cardiaca, quae adhibeo paſſim, ſunt eiuſmodi, quorum moderatioribus utor in morbi initio, aeſtuatione maxime fervente. Illa vero fiunt ex aquis deſtillatis v. g. Borragin. Citri, Scord. vel ad mixtis Syrupis Meliſſo phylli Fernel. Caryophyll. & de ſucco Citri. In febribus ſane malignis, auctis, continuis, ardentibus, imo contagioſis, & peſte ipſa, maximam meretur laudem, cum enim bilis acrimoniam in febribus hiſce ſaepe peccantem, temperat, tum etiam reficit partes flaccidas, & laxiores acore ſuo corroborat, tonum earum reſtituens, intolerabilem praeterea reſtinguit ſitim, & malignitatis focum expellit. Hinc etiam ut nobiliſſimum alexipharmacum in febribus illis venenoſis, tam praeſervandi quam curandi fine, eſt uſitatiſſimus, quo penetrantior & ſimul blandior, in regno vegetabili, non reperitur,

ut nulla, in dictis febribus, adhiberi debeant medicamenta, quae non ſuccus Citri ingrediatur, Vid. *Ettmull. Colleg. pharm in Schroed. p.* 426. *Sic Excell Dom. Dom. Stabl. Obſerv. Chymicophyſico Medic. Menſ. Maii* 1698. *de febri petechizante epidemica p.* 593. *D. D. Vater Diſſert. de venenis eorundemque Sympromat. p.* 6. *Theſ.* 8. in cura a morſu canis rabidi & viperarum, etiam inter alia ſuccum Citri commendat.

Succum porro etiam ventriculo conducere, affirmare haud erubeſco, dum ſcilicet, blando, & volatili acido, viſcoſitates reſidentes attenuat, diſſolvit, acidumque interdum deficiens aliquo modo reſtituendo, appetitum excitat, anorexiae & dyſpepſiae medetur. In malacia quoque gravidarum egregium eſt remedium. *Vid Ettmull. l. c. Pancov. l. a. Tabernaem. & Matthiol. l. c.* Huc referri etiam poteſt, quod nucis vomicae improvidum uſum inſecura incommoda (annotante *Domino Vatero* ex *Sennerto de Venen. l.* 6.) vomitum nempe biliоſum, ardorem, & anguſtiam praecordiorum, aliaque ſymptomata, optime ſiſtat atque cohibeat. Conf. & *Borrich. l. c. p.* 69. Virtus praeterea inſignis antiſcorbutica reperitur in ſucco illo acido. Acrimoniam enim & acidum illud tartareum ac rancidum ſcorbuti, volatili ſuo & blando acido corrigit. Et affirmat *Roſeus in epiſt. ſuis*, ſolo ſucco Citri ſcorbuticos etiam graviſſime decumbentes eſſe curatos. Et certe in ſcorbuto, ex ſalium acriorum copia contracto, praeſentiſſimum eſt remedium. Belgae in Indiam orientalem navigationem facturi, ut a ſcorbuto, ſub zona torrida fere endemico, illoſque tantum

non

non ſemper invadente, ſe praeſervent, malis Citriis ſibi proſpiciunt, & lagenas eorum ſucco plenas ſecum vehunt, pro ſcorbuti remedio, uno ore id teſtantibus *Bauh. Lib.* 1. *Hiſtor. plant. c.* 28. *Schroeder. edit. in fol. p.* 935. *Ettmuller Colleg. pharm. in Schroeder. l. c. Behrens Select. diaeter. l. c. Simon Pauli l. c.* qui ſcorbuticorum artus, Limonio vel Citrio malo per medium diſſecto, perfricandos adſerit, idque remedium ceu euporiſton & praeſentiſſimum afferens levamen, eximie commendat.

Anthelminticus quoque Citri ſuccus iudicatur; nec ſine ratione, utpote putredini, vermium fomento, admodum adverſus eſt, & penetranti ſuo acido corpuſcula vermium aggrediendo, enecat optime. Hoc aſſertum *Redi obſervationibus p.* 119. ſuffulcitur, quae teſtantur lumbricos a ſucco Citri, quo imbuerat brevi periiſſe. Annotavit id quoque *Excell. Dom. Praeſes diſſert. de Anthelmint. p.* 19. calculumque huic addit *Wedelius l. c. p.* 365. Diuretica pariter pollere virtute & hinc ad effectus nephriticos commendari a Practicis, non aliunde quam ex vi ſua attenuandi & reſolvendi, deduci poſſe exiſtimaverim. Qua de cauſa vis eius diuretica laudatur a *Behrens l. c. Ettmullero l. c* Lithontripticum dici poteſt, quoniam eadem efficacia, incidendi ſcilicet, attenuandi, ac reſolvendi, ad ſaburram & mucorem aliquem tartareum coagulatum comminuendum & reſolvendum, viribus inſtructus eſt. Vti vero Lithontriptica talia dari, quae calculum perfectum & ſolidum frangere & actu conterere valeant, multi, graviſſimis rationibus adducti, dubitant: ita

nec

nec ſucco noſtro potentiam illam adſcripſerim, aut cum quibusdam mihi eandem operationem intra corpus humanum, quam extra, in diſſolvendis gemmis, unionibus, & coralliis, promiſero. Nephriticum meliori iure ex adducta ratione dicendum, arenulas enim, ſi cum ſaccharo ieiuno ſtomacho ſumatur, promovet, teſtante *Behrens l. c.*

In tantis virtutibus etiam conſpicitur vis illius antaphrodiſiaca. Vt refrigerans enim turgenſcentiam ſanguinis & ſeminis ſupprimere, & ipſos ſpiritus acido ſuo figere valet; hinc teſte *Mercuriali L. 4. de morb. mal. c.* 5. mirifice ad feminis copiam extinguendam confert. *conf. Pancov. & Schroed. l. c.* Pro exſtinguenda gonorrhoea primas tenet, ut millies expertus eſt *Pancovio* ibidem citante, *Amatus Luſitanus Cur. medic. Cent.* 5. *cur.* 71. Licebit etiam hic caſta mente inſeruiſſe, quod magnum afferat emolumentum, ſi congreſſu impuro mentulae communicata ſit materia quaedam acris, corroſiva, putrida, quae, intra glandem & praeputium ſtagnans, inflammationem tunicae glandem tegentis efficit, qua continuata per totam urethram, ſuppurationem, ulcera, & ſic gonorrhaeam producit. Hoc facto igitur ſtatim mentula mundificanda & abluenda eſt ſucco Citri, aqua ſimplici, aut etiam plantaginis, mixto & diluto, ſic nimirum ſale hoc blando volatili in acido Citri contento, ſal illud corroſivum, quo materia talis putrida communicata, ſcatet, corrigitur, & inflammatio, cum omnibus diris ſaepe ſubſequentibus ſymptomatibus praecavetur, quod *Excell. Dom. Dom. Teichmeyerus, praeceptor meus Venerandus, in Collegio noſtro pathologicopra-*

ctico

Ethico, vehementer commendavit. In corpulentia denique nimia, acida & inter illa ſpeciatim ſuccum Citri, commendat *Dolaeus Eutyclop. Chirurg. p.* 474. Vulnerarium ultimo eſſe, & doloribus etiam arthriticis mederi, ex *Lobenſtenio l. c.* commemoraſſe ſufficiet, addendo brevibus & uſui mechanico vel oeconomico inſervire, dum nempe maculas ab atramento, imo aliunde, in lineaminibus contractas, evaneſcere facit, & ſcripturam in charta delere poteſt.

Progredior iam ad ſemina, eorumque virtutes eruendas: cum vero in pluribus ferme cum ante dictis conveniant, hic brevitati magis ſtudebo. Sunt vero itidem, ut cortices, calida amara, & aromatica, & hinc etiam interdum medicamenta cephalica ingredi poſſunt. Cardiaca audiunt, quatenus ſunt bezoardica, diaphoretica & alexipharmaca, & ſic ad malignitatem cordi moleſtam expellendam faciunt. Hinc in febribus malignis, imo petechialibus, variolis morbillis egregii uſus ſunt, praeprimis in emulſionibus vid. *Ettmull. l.c. p* 426. In peſte, ut efficax remedium depraedicat *Levin. Lemn. L.* 4. *de occult. nat. mirac. c.* 17 In ſudoriferorum ordinem collocantur a *Wedelio l. c. p* 346. Semen etiam Citri Scorpionum ictibus & potum & adplicatum mirifice mederi, affirmat *Matthiolus & Behrenſ. l. c.* Ventriculo conferre non inepte ſtatui poteſt, quatenus aromaticum eſt, & contra gravidarum vomitus cum fructu adhibetur, teſte *Simon Paul. l. c.* Anthelmintica denique virtute non defraudanda ſunt haec ſemina, eo quod amaror vermibus maxime ſit inimicus, hinc *Sennertus* in vermibus necandis multum ea commendat,

dat, item *Behrens l. c. Sim. Paul. l. c.* uti pariter in pulveribus contra vermes adhibentur v. g. in illo *Cratonis Consil. Medic.* 13. Recipe Coriandri ppt. unc. sem. Semin. Portul. Citr. Limon. ana drachm. duas. Zedoar. drachm. 1. Cornu Cerv. ust. unc. 1. M. F. P. dos. drachm. sem. Et haec de seminibus dicta sunto.

Cum itaque partes singulae Citrii mali fuerint explicatae, ipsum pomum sub examinis iam incudem revocandum est. Et hic inficiari haud licet, emolumentum fere uberius impetrari posse ex toto, maxime propter stupendam eius vim alexipharmacam; malum enim hocce instar compositi generosi est, quod partibus gaudet & iuvantibus & corrigentibus sese mutuo. Capiti pro diversis indicationibus auxilium praebere vix negandum, sic in mania, melancholia & deliriis, ad spiritus irrequietos blando acido figendos & placandos, balsamica autem ac bezoardica vi corroborando prodesse possunt; & sane in philtris iam laudavit *Virgil. Lib.* 2. *Georg. vers.* 126. *& seq.* canens:

Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali, quo non praesentius ullum.
(Pocula si quando saevae infecerae novercae,
Miscueruntque herbas & non innoxia verba)
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Citria adversus atram bilem & morbis moestis opitulari asserit *Matthiolus l c.* Ventriculo & cordi salutaria esse ex prioribus patebit, quod etiam affirmat *Valentini l. c.* & Citrio quasi inesse generale confortativum cum *Ettmullero Colleg. pharm. in Ludov. p.* 984. audacter statuo. Vt hepatica & splenetica consideranda etiam, quatenus modo ut aro-

matica balſamica, modo ut refrigerantia & aperientia, pro diverſo utendi modo, uſui veniunt. Sic hanc in claſſem referuntur. *a Wedelio l. c. p.* 167. & 179.

Citrium porro totum, in uſum aſſumtum, bezoardicum eſt praeſtantiſſimum & lapidi Bezoar multis paraſangis praecurrens. Praeterquam enim quod lapis Bezoar rariſſime ſit genuinus, (aſſentiente *Manardo in Tr. de Bezoar & Scorzon.*) unde alia quam abſorbendi potentia ex eo ſit arceſſenda, penetrare non valeo, cum ſit ſaporis omnis pariter ac odoris, in quibus tamen vis medica potiſſimum quaerenda, expers. Alexipharmaci denique proprie ita dicti titulo, pomum Citrium fulget, & quidem tanto iure, ut ex vaſto materiae medicae penu generoſius, praeſtantius & efficacius depromi poſſe, omnino dubitem omne enim hic deſiderium implet, & non ſine ratione ab *Ettmull. in Col. pharm. Schroed. p.* 426. omnibus Theriacis, Mithridatiis, & confectionibus magiſtralibus quoad uſum antiloimicum & alexipharmacum praefertur. Viennae & Baſileae quam ingentem & exoptatum praeſtiterint mala Citria uſum, hiſtoriae commemorant, & *Valent. Muſ. Muſ. l.* notat. Sic in peſte laudatur *a Ioh. Dan. Mylio in Baſil. chym. L.* 6. *Augen. L.* 3. *de Peſt. c.* 9. *Ficin. in Epidem. c.* 6. *Craton. L. de Peſt. Popp. in enchyrid. experim.* Conf. praeterea *Vrzeri antidotar. peſtilent L.* 2. *p.* 1895. ut taceam Celeberrimorum Medicorum coaevorum, hac de virtute anthelmitica, elogio. Et ſane cuiuſlibet veneni malum Citrium eſt alexipharmacum. Ad illuſtrandam vero mirificam & incredibilem fere efficaciam alexiteriam, non poſſum non adducere

cere hiſtoriam ex *Athaeneo Deipnoſophiſt. Lib.* 3. Princeps nimirum quidam Aegyptius, maleficos quosdam nebulones, aſpidibus, ſecundum leges Aegyptiacas, in praedam exponendos, damnaverat: in itinere vero, ad beſtiarum pabulum illos ducente, caupona quaedam mulier eorum vicem dolens, cuivis malum Citrium dederat; in theatrum ergo lethiferum deducti nebulones, ab ictibus immanium ferarum nihil quicquam ſenſere, qua de re Princeps valde miratus, poſt inquiſitionem de citriis comeſtis factus eſt. Poſtero igitur die, uni viciſſim Citrium dare, alteri denegare iuſſit, quo facto is, qui pomum comederat, immunis manſit, alter vero ab aſpide ictus, undique lividus factus miſerrime interiit, Pariter *Theopompus Chius* duodequadrageſima ſua hiſtoria narrat Clearchum Heracleotam Ponti Tyrannum multos veneno necaſſe, ſed ille, inquit, adhuc plures interfeciſſet, ſi populum praeſtantiſſima vis Citriorum latuiſſet: vid. *Matthiol. l. c. Behrens l. c.* qui huius hiſtoriae veritatem etiam ſequenti affirmat: quod ſcilicet Studioſus quidam Medicinae, Pariſiis morſu viperae lethaliter tactus, fruſtra adhibitis omnibus aliis medicamentis, pomo Citrio, quod a Nobili quodam eidem porrectum erat, vix odoratu, ne dum guſtu & acido ſucco delibato, ſi fides eſt adhibenda, convaluerit.

Ante egreſſum tandem, quaenam ars pharmaceutica nobis ex malis Citriis ſuppeditare queat medicamenta, explorandum reſtat; & ut naturali ordine procedatur ulterius, primo cortices examinandi erunt. Horum vero flavedo oleum delicatiſſimum pariter ac efficaciſſimum nobis offert,

quod hodie plerumque nomen *Cedro* ſibi arrogavit ex Italo idiomate. *Quinta Eſſenza di Cedro* autem interdum Italis ſtricte dicitur oleum ex floribus Citri paratum, quanquam *Valent. l. c.* etiam hoc ex corticibus paratum illis *Eſſenza* appellari putet. In officinis noſtris dicitur oleum Citri verum, & datur duplex unum ex flavedine cum aqua deſtillatum, quod eſt fragrantiſſimum, & cuius nota characteriſtica eſt albedo aquam limpidam aemulans. Tale ex corticibus recentibus pomorum numero 100. abſque maceratione vel fermentatione, ſtatim deſtillatis, ſpatio quatuor vel quinque horarum, ab aqua ſeparandum, impetrari affirmat. *Schroder. l. c.* & quidem ex pomorum mediocris magnitudinis, indicata multitudine, 10. ad 12. drachmas. Alterum commune quod ex corruptioni proximis malis Citriis paratur, vilius, minuſque priori fragans eſt, atque magis ad uſum externum quam internum commendabile. E corticibus ſiccis & aridis, quales in officinis venum proſtant, etiam quidem per deſtillationem cum aqua acquiri poteſt oleum, ſed parum. Ipſe enim experimento facto ex libris duabus corticum paucam olei quantitatem impetrabam, quod plane aemulabatur illud deſcriptum, ex putridis malis elicitum. Viridem enim prae ſe ferebat colorem, odorem vero ſpirabat non ingratum quidem illum & Citriis ſatis ſimilem, ſed tamen longe a fragrantia & penetranti gratia illius deſtitutum, quod vulgo de Cedro dicimus. Sapor etiam non adeo acris & igneus erat, ut illius, quod ex recenti flavedine fieri indicavimus: aqua tamen ſatis fragrans deprehendebatur: Exprimi denique, ſecundum *Va-*

len-

lentinum, oleum poteſt ex flavedine, quod vero aſſervari nequit, & minus uſitatum eſt. Prodeſt autem quam maxime oleum Citri verum in ventriculi debilitate, interno, & externo uſu, calefacit enim maxime, & flatus diſcutit; in anxietatibus praecordiorum laudante *Wedelio Pharm. acroamat. p.* 370. multum conducit; in colica vero ſpecificum eſt praeſtantiſſimum, nec ſatis laudandum, & experientia ſaepiſſime confirmatum. In febribus omnibus malignis notiſſimae & comprobatae eius virtuti non opus eſt ſuſpenſa hedera. Plurimis porro medicamentis tam corrigendi, quam iuvandi maximamque gratiam conciliandi fine additur. Omnes autem Practicorum formulas & compoſitiones, quas ingreditur, recenſere, res magis integri voluminis, quam aliquot plagularum eſt, cum ubique fere deſideretur, & ametur. In potu interim Thee quantum non palato ſolum ſed & ſanitati vi ſua balſamica & fragranti conducat, quemlibet experiri volentem exoptatiſſimus fructus convincet. Pulveribus ſternutatoriis additum deſideratiſſimam & gratiam, & utilitatem conciliare certiſſimum eſt. Ab *Ettmullero*, annotante *Wedelio diſſert. de camphora*, laudatur Medici cuiusdam Veronenſis Heniſii felicitas, qui oleis Citri & Succini cum Camphora mixtis tantas res perfecerit, ut ipſi columna triumphalis erecta fuerit. Et huius genii etiam eſt oleum bezoardicam, cuius non infimum ingrediens conſtituit laudatum oleum Citri verum, ex quo ſcilicet, & Camphorae q. ſ. in illo diſſoluta *Excell. Dom. Praeſes* illud parare conſuevit. *Wedelio* vero ex Camphorae dra-

chma una in oleo amygdalar. dulc. cum rad. Alkann. tincto, & olei Citri drachma ſemis addita, id parare placet. Vtroque modo ſe ut remedium inſigne bezoardicum cordiale, balſamicum in febribus malignis, aliiſque morbis commendat, defendit ab inflammatione, imo ſtomachicum & uterinum eſt ad guttas duas, tres, vel quatuor propinandum. Ex hoc tandem oleo bezoardico, oleo Ligni Guaiaci, & Caryophyll. paratum oleum odontalgicum in dolore, & carie dentium egregii uſus commendat *Dom. Dom. Teichmeyerus in Collegio Chymico*. Paratur etiam Balſamus ex oleo Citri, & Nuc. Moſchat. qui, & capiti, & nervis amiciſſimus erit.

Ex oleo tandem noſtro Citri, ſaccharo, & aqua Roſarum *Mynſichtus* ſuum parat Elaeoſaccharum alias vero ex ſolo tantum cum ſaccharo mixto oleo paratur, quod *Excellentiſſimus Dom. Dom. a Bergen Profeſſor Francofurtenſis ad Viadrum digniſſimus, Patronus atque Praeceptor meus, omni honoris ac obſequii cultu ſuſpiciendus* in Cardialgia ſpecifice commendare ſolebat; ſic pulveri digeſtivo ordinario, qui S. R. M. Vladislao IV. in uſu fuit, addit *Dom. Dom. Cnoefelius* ſaccharum Citratum, it. Eſſent. Citr. extractam, compoſitionem vide in *Appendice ad ann. V. Ephemer. Germ. N. C.* Saccharum vero Citratum, nihil aliud eſt, quam dictum Elaeoſaccharum. Et hunc ſub cenſum trahenda etiam eſt Eſſentia Citri ſicca *Hoffmanno Clav. Schroed.* ita dicta, quae conficitur ex Cortic. Citri recent. mediante ſacchari albiſſimi aſperſione, quod abraditur viciſſim inverſo cultello in orbem ſtanneum, uſque dum

ſaccharum ſucci ad inſtar appareat, hoc repetitur tam diu, uſque dum ſaccharum conſiſtentiam acquirat ſiccam. Non diſplicebit hic ob convenientiam cum prioribus, inſeruiſſe medicamentum aliquod elegantiſſimum, ſub Eſſentiae Citri trochiſcatae nomine ab Amico quodam Medico communicatum. Ita autem, parandum eſt: Recipe pomorum Citri recentium, a ſorditie ſuperficiali bene mundatorum no. 2. affricetur ipſorum flavedini fructus ſacchari Canarenſis indeterminatae molis, abradatur ſemper quantum ſacchari oleo apparet inundatum, & de novo affrictione ulteriori continuatur. Sacchari hae miculae oleoſitate ſaturatae, & collectae cum una adhuc ſacchari Canarienſis parte (vel minus potius) probe in mortario lapideo terantur, quibus in pollinem converſis, pro maſſa exin paranda, addatur ſ. q. ipſius pomorum ſucci. Ex maſſa hac quam optime ſubacta, trochiſci, ſtellae, ſi placet, charactere inſigniendi, formentur, magnitudinis arbitrariae, modo, ne gratia medicamenti cum puritate ſimul externa periclitetur, omnia circumſpecte, & lotis ſuſcipiantur manibus. Vires illius medicamenti analeptici eaedem ſunt cum illis, quas fructus, unde conficitur, poſſidet, niſi quod ars principia illa duo eſſentialia inter ſe diverſa, acidum nempe, & oleoſum hoc pacto uniendo, praecellere videatur ipſam naturam, unde una quaſi fidelia duobus ſuccurrit dealbandis parietibus. Quippe acido blando, ſacchari dulcedine involuto, temperatur aeſtus praeter naturalis humorum, attenuatur pituita particulis aethereae naturae oleoſis, & tonus partium labefacta-

tus corroboratur. Delicatius vix bibitur Thee infuſum ac trochiſcorum horum nonnullis in illo ſolutis, & aemulatur tunc acidulas praeſtantiſſimas. Vino dulciori ſi remiſceantur, qui illud bibunt mirantur eius ſuaviſſimum odorem ac ſaporem. aeterum cum totius pomi conveniunt viribus.

Cortices porro I. ſuppeditant Eſſentiam Citri, infuſi ſcilicet in ſpiritu Vini rectificato, digerendo eandem producunt. Eſſentia haec ut ſtomachicum, & carminativum, in variis affectibus uſurpari poteſt cum fructu. *Wedelius* eandem medicamentis nervinis addit; II. Spiritum, parari poteſt per fermentationem, recipiendo corticum q. v. ab albo ſeparatorum: his conciſi addatur ſacchari ſ. q. in aqua tepida ſoluti, & pauxillum ſuccum cereviſiae: in vaſe clauſo per 7. dies digerantur, & tum ex arena deſtillentur, ſic prodit ſpiritus elegantiſſimus, qui aliquot guttulis datus in convenienti vehiculo vires deficientes egregie reſtaurat, variaeque indicationi pro Medici iudicio reſpondet. Elegantiſſimum Spiritum & Eſſentiam Citri vide in *Moellenbrocci Tract. de Variis*. Simili ratione etiam paratus Spiritus bezoardicus ex Cortic. Citr. *libr. 3. Flor. Samb. M.* 12. & Spiritus Vini non rectificat. *Menſ.* 14. *lib.* 16. per deſtillationem egregiem inſervit extractioni Tincturae bezoardicae. III. Aquam per deſtillationem factam, quae ſecundum *Schroed. l. c.* eſt carminativa, & anthelmintica; non minus etiam ſtomachica. IV. Acetum, per infuſionem ſcilicet paratum, quo utitur *Ettmullerus l. c.* in morbis epidemicis, acutioribus, malignis. V. Syrupum, potiſſimum medicamentis

bezoar-

bezoardicis ad gratiam addendum. Ingreditur Electuaria purgantia, aliaque *Pancov. l. c.* eundem laudat ut cephalicum, ſtomachicum & cordiale, orisque halitum corrigere & palpitationi cordis item melancholiae mederi ſtatuit. Meminiſſe hic etiam iuvat ex flavedine corticum Citri recentium cum nucleis melonum contuſis parari Italorum *Orſchato*, quod non minus proficuum quam delicatum eſt, & in febribus malignis, variolis, morbillis, variisque morbis concedi poteſt. Ita pariter cortices citri recentes una cum Cinnamomo conſtituunt gratiſſimam aquam illam Tappianam id vero praeterquam quod palato ſatis arrideat, etiam ventriculum roborat, digeſtionem promovet, & analepticum atque cardiacum eſt egregium. VI. Conditum, quod *Behrens l. c.* ut praeſervativum ab aere nocivo & rore matutino, commendat. VII. Etiam ex corticibus calcinatis per elixivationem ſal parari poteſt, quod tamen vix alibi, quam apud *Schroed. Pharmac.* invenies.

Ex ipſo vero ſucco & pulpa, paratur cum ſaccharo quaſi conſerva quaedam, quae ex Italia allata, nomine *Agro di Cedro*, ſalutatur, cuius uſus in aeſtu febrili, alibique non inconveniens eſt. Porro ſyrupus acetoſitatis Citri, tam in potionibus & lulepis, quam etiam electuariis, aliiſve formulis, pro debito fine uſurpandus. Electuarium etiam egregium, una tamen cum flavedine, conſtituit ſequenti modo: Recipe pulp. pomor. Borsdorff. libras 3. pulp. pomor. Citr. Succ. Citriana libr. 1. flaved. cort. Citr. minutim inciſ. unc. 4. Sacchar. alb. libr. 4. coque blando igne in vaſe terreo vitreato ad electua-

rii consistentiam vid. *Ettmull. Colleg. Pharmac. in Ludov. p.* 984. in nostris vero officinis absque pulpa pomorum Borsdorff. parari consuevit. Confortativum est praestantissimum. Tandem habetur ipse succus expressus & ad usum asservatus, praesertim si cum saccharo fermentatus sit; adportatur talis etiam, ex parvis & immaturis confectus Citri pomis, ex Italia. Turcis ex succo parare potum aliquem solenne est, qui illis dicitur *Sorbec* & ex saccharo pariter & acido succo consistit. vid. *Valent. Muf. l c.* Inservit itidem succus laudatus conficiendae Tincturae Coralliorum sat notae, nec non in usu est frequenti serum lactis caprini cum solo succo Citrino paratum, & idcirco dictum serum lactis caprini Citratum, quod commendatur in febribus ardentibus, nisi adsint usum eius dissuadentia symptomata, in Scorbuto illi adhuc adiungi possunt succi antiscorbutici v. g ex Fumaria, Cochlearia &c. Et ultimo succus Citri cum Camphora & addito vino albo, egregium, & Sexui amabili se quam optime commendans constituit cosmeticum.

Succedunt autem semina eorumque præparata examinanda: Ex illis I. mediante expressione elici potest oleum, id licet non sit officiale, adeoque nec in frequenti usu, tamen virtute sua specifica anthelmintica sese commendat, & maiori cura advertendum esset. Vt vehementissimum antidotum adversus pestem aliaque venena oleum ex seminibus extractum laudat *Iob. Baptist. Port. Mag. natural. L.* 8. *c.* 9. *& L.* 10. *c.* 5 II. Inter emulsiones frequentius usurpantur semina, in febribus arden-

tibu-

tibus huiusque genii morbis aliis. III. Pulveres ingrediuntur contra vermes quod etiam commendat *Sennert. in Prax.* nec non decocta & aquas alexipharmacas; recipiuntur pariter in pulverem contra variolas & morbillos vid. *Dispens. Brandenb. p.* 144. 4. Mucilago etiam ex Semine sed paulo difficilius impetrari potest, quae ut mucilagines v. g. Seminis Cydoniorum, Plantaginis &c. usui Medico suum contribuere posset. Ingreditur, quod obiter adhuc notandum, ut praestans bezoardicum & antiloimicum, semen Citri Theriacam Andromachi, in *Dispensatorio Brandenburcico* optime & cum ratione farragini illi ingredientium insertum, in aliis vero descriptionibus Theriacae negligenter ab Autoribus omissum.

Sed videamus adhuc paucis, qualia ex toto Citro simul sumto prostent praeparatata I. Igitur se offert pomum totum conditum, quod maxime nondum perfecte maturum, cortice & carne incisis, nucleisque exemtis, condiri solet, cuius usus ex antecedentibus sat patet. II Syrupus ex toto Citro, qui alias bezoardicus Praevotii dictus fuit, cum vero, ob ingredientes radices, saporem ingratum habuerit, suaviorem Autores Dispensatorii Brandeb. conscripsere, ut videre est ibid. *p.* 196. III. Electuarium de Citro, cum quo coincidit Theriaca Citrata, *l. c. p.* 206. descripta. Aqua ex pomis Citri, videatur apud *Sennert. L.* 5. *part.* 3. *Sect. c.* 5 it. in *Febrii Tractatu de Scorzonera c.* 7. quam, cum non inelegans sit, hic subnectere placet. Rec. pomor. Citr. recent. no. II. incidantur cum cortice in taleolos tenues, addantur Sacchari albissimi unc. III. red.

Schor-

Scorzon. mundif. drachm. 2. aquae font. lib. 6. coquatur ad tertias, coletur.

Vltimo loco memorandum eſt, quod ex Citro gratiſſimi ſaporis decoctum laxativum, in calore nimio valde proficuum, praeparari poſſit, ſi nempe Tamarindorum uncia una cum Mannae duabus, & pomo citrio in Taleolos diſciſſo, exemtis prius corticibus, in aquae menſuris duabus coquantur, & colentur. Redditur inde potio, propter blandam aciditatem, palato gratiſſima, quae in febribus bilioſis, ad bilem nimis acrem ſervidam praecipitandam & educendam, non ſine inſigni fructu adhibetur. Per quam etiam nota & uſitata eſt praeparatio illa ptiſanae, quae ex ſolo hordeo, raſura cornu cervi, pomo citri, addito pro edulcoratione, parari ſolet, inque febribus ad exſtinguendum calorem nimium, ſitimque ſedandam convenientiſſimum remedium eſt. In fine adhuc occurrit potus ille delicatus, refrigerans, & aeſtate a ſolis calore languentibus amoeniſſimus *Limonade* dictus, qui ex ſucco Citri, aqua ſimplici, & ſaccharo, addita ipſa corticum flavedine paratur, uſus eius eſt, ut gulae ita & ſanitati acceptus, abuſus vero per quam noxius. De omnibus ante dictis praeparatis uſum pharmaceuticum, qui eſt idem cum ſaepe commoratis repetere nolui, cum crambem toties coctam apponere palaro minus arrideat.

ERHAR-

ERHARDI BRVNNERI

DIESENHOF-HELV.

DISSERTATIO.

DE FREQVENTIA MORBOR.

IN HVMANO CORPORE PRAE BRVTIS

PRAESIDE

GEORGIO ERNESTO STAHL.

DISSERTATIO IV.

De Frequentia Morborum in Corpore Humano Prae Brutis.

CVm animum advertentibus non possit non dilucescere, quod homo, saepius, & plurium specierum morbis, corripiatur, quam quaecumque alia bruta; considerationem utique meretur, unde verisimillime hoc pendeat atque ita eveniat: tanto magis, cum homo seorsim spectatus, re vera rarius aegrotare observetur, quam summae corruptibilitati corpori eius, secundum materialem ipsius constitutionem examinati, convenire aut impendere deprehendatur. Primo itaque, si animalium genera nobis cognita spectamus, sane nulla nobis occurrunt, quae sive tam saepe, sive tam varie, sive tam dubie, ut ipsi homines, aegrotent. Quantum libet etiam illorum pleraque longe brevioris sint Vitae, & periodum huius multo pauciore tempore absolvant: longe etiam magis; si aegrotare incipiant, deletorios atque lethales morbos incurrant. Dico, non ita dubios effectus sortiantur, uti fere in hominibus fieri consuevit; ubi subinde morbi in aliis subiectis cum nullo aut minimo periculo exeunt; in aliis

in-

ingens periculum, imo non ita raro lethalem exitum ſortiuntur.

Vt huius negotii velutii ſummos apices delibemus, & quaſi ſumma capita percurramus, Frequens hominibus eſt Febrium proventus, quae e contra inter bruta, vel plane non, vel certe rariſſimis, & vere dubiis exemplis, obſervantur. Deinde vix notae ſunt, inter bruta nobis notiora, Haemorrhagiae: unde mirum non eſt, etiam illos morbos ab haemorrhagiis molientibus, impeditius ſuccedentibus, aut nimium profuſis, aut diu aſſuefactis, & poſt hac, vel alias etiam temere, ſuppreſſis pullulare, ſolertior obſervatio deprehendit, brutis incognitos aut inſolitos eſſe. Pariter, minus cogniti inter animalia bruta ſunt Tumores vere oedematſi atque hydropici. Si ovillum genus excipias, vix aliis animantibus notae ſunt Phthiſes: quin rariſſimis etiam exemplis, niſi apud iuniores canes Vermes ſubſint, atrophia. Ex eodem fundamento, rarae inter animantes ſunt tuſſes, praecipue diuturnae aut humidae, niſi quidem a manifeſtioribus externis cauſis inducantur, ut a manducatione foeni, multo pulvere limoſo polluti, qui halitu in aſperam arteriam, & pulmones adductus, partim vellicando, partim obſtipando, & adſtringendo, pulmones male habet, adeoque conatum excutiendi, tuſſi aemulum, ibi producit.

Familiariores ſunt brutis ſqualores cutis, & foeditates ulceroſae ſcabioſae. Non tamen illo more, quo hominibus obtingere ſolent, ut peculiares partes ſeorſim prehendant, ut caput, faciem ſeorſim, aures privatim &c. Imo nemo non videt,

det, quod etiam huiusmodi affectus brutis facilius eveniant ab externis causis, quam internis: quod ipsum de hominibus pari modo dici minime potest.

Certe vero etiam aliorum plerorumque affectuum particularium; vel nulla plane sunt in brutis, vel nonnisi rarissima vestigia. Capitis, oculorum, aurium, inflammationes (nisi ab externis causis & vi illatae) faucium, pectoris. Quamlibet iam superius negata brutis familiaritate haemorrhagiarum; haec pleraque, ut istarum consectaria, removerimus. Lippitudo, rubor oculorum, coecitas cum & sine cataracta, canibus & equis familiarius eveniunt inter bruta: minime tamen aeque sive prompte, sive saepe & familiariter, uti multi ex hominum coetu, nisi externa violentia intercedat. Gravissimum illud malum, convulsiones, rarissimi exempli est inter bruta, quod enim de alitibus quibusdam, & de Alce inter quadrupedes, narrant, fabulae propius esse, quam observationibus, quotidiana experientia confirmat; Quam frequens autem hoc malum sit inter homines, neminem utique latet. Paralysis, licet hominibus quoque non ita admodum frequens, immensum quantum tamen frequentius his etiam obtingit, quam brutis; nisi equorum peculiarem debilitationem, quae in cruribus ipsis aliquando contigit, ad hunc censum referendam ducamus. Differt autem certe a paralysi humana, quod haec familiarius uni artui, aut unius lateris artubus, accidat: equis autem vel quatuor artus, vel utriusque lateris anteriores aut posteriores, eadem illa debilitate afficiantur: praeterea hominibus, quando totius unius lateris paralysi corripiuntur, fere

ſolennius etiam regio interpoſita totius trunci, una graviter laedatur: quod apud equos minus ſolitum, apud alia vere animalia totum hoc malum inſolitum eſt. Phantaſiam in homine, iam inter alios morbos, iam citra illorum manifeſtiorem occurſum, ſaepe atque facile laedi, teſtatur quotidiana experientia: Apud bruta quidquam tale, excepta ipſa rabie, deprehendi, non obſervetur: quamlibet canes, qui etiam rabiei prae aliis animalibus expoſiti obſervantur manifeſto ſomnis vexentur. Sicut autem inflammationibus, & ſpontaneis ſuppoſitionibus, minus obnoxia obſervantur bruta quam homines; ita etiam frigoribus immenſum quantum minus laeduntur: & quidem, quod mirari fas eſt, non tam ſola maiore mole & robuſtiore teſtura conſpicua, ſed plane exilia aviculârum variarum exemplo. Homo vero, licet etiam ipſe non ita abſolute frigoris impatientiſſimus, tamen notiſſimum etiam eſt, quod minus quam alia pleraque bruta illud tolerare valeat: inprimis tamen cum tali differentia, ut ſecundum aſſuetudines diverſas, alii quidem minore moleſtia inde afficiantur, alii maiore atque praeſentiore. Vt Inflammatio rarior in brutorum corpore eſt proventus, ita ſphaceli tanto rariora ſunt exempla; ad quem interim homines, licet nec ipſi adeo praecipites ſint, multo tamen utique proniores ſunt atque promptiores.

Quid, quod inter homines, & partus, valde difficilis ſubinde ſit, & poſt partum, varia occurſent incommoda, imo pericula, qualia inter bruta non obſervantur. Imo, uti ſupra iam monuimus, quin repetiimus, quod bruta communiter Haemorrhagiis careant, quae humano ge-

neri

neri familiares, quando laborioſius ſuccedunt, magnum numerum aliorum incommodorum & praeternaturalium affectuum his parturiunt: a quibus iuſta & reali conſequentia, propterea libera ſunt bruta, quoniam ab illorum fonte, haemorrhagiis earumque moliminibus abſunt, ita peculiarem differentiam hic habent brutorum foemellae ab humanis, quod iſtis menſtruae haemorrhagiae incognitae ſint, adeoque etiam varia alia morborum genera: quae mulieribus ex hac radice pullulant, brutis minime pariter obtingant. Mirabilis profecto eſt diverſitas illa, quae inter infantes humanos, & brutorum pullos atque foetus, intercedit; dum infantes variis hinc inde affectibus obnoxii fiunt, teneri inſuper & varie ſenſibiles: Brutorum contra foetus corporis mole ſubinde etiam ſumme exiles, non niſi rariſſime graviter affici obſerventur, licet inter externas, uti loqui ſolemus, iniurias, multas atque varias verſari videantur.

Vt brevibus omnia complectamur, cum homines abundantia ſanguinis ſpiſſeſcentia, ſanguinis operioſioribus commotionibus, ſanguinis copioſioribus emotionibus & exonerationibus, motibus partim eo ſpectantibus, partim tali occaſioni ſupervenientibus, ſpaſticis, preſſoriis, convulſivis, expoſiti ſint: bruta vero communiter ab his rebus aliena exiſtant: fieri hinc aliter non poteſt, quin & longe faciliori illorum proventui, atque impetui, expoſiti vivant homines, prae brutis. Dum hac obſervatione hiſtoriam Frequentiae morborum humanorum prae brutis, obſignamus, manuducit illa veluti ad fundamenta pathologiae, ſive cauſarum, quarum intuitu atque interventu haec morborum

Frequentia brutis minus, hominibus magis familiaris esse soleat. Quaerendae autem erunt causae, vel in discrimine motuum, vel in differentia variarum occasionum externarum seu adventitiarum. Imo vero, merebitur nonnullam considerationem, an non illud ipsum, quo bruta ut talia ab homine differunt, hic aliquid diversitatis inferat, & quo maxime modo atque intuitu hoc ita evenire possit, aut soleat. Tentabimus, quid in vestigatione circumspecta instituta colligere integrum videatur. Quod itaque primo loco materiam corporis humani, in ordine ad brutorum corpora, concernit, nullam subesse praerogativam horum prae illo, vel mediocriter considerantibus, manifestissimum hic est.

Primo enim certissimum est, quod corporis animalis in genere, universae inquam Mixtionis animalis, in eo plane par sit conditio, quod ad corruptionem putredinosam totum propendeat, nullo penitus animalium genere excepto: Vnde certe ex hac parte, neque animalia ullam habent praerogativam, nec homo ullum delectum, quo brutis deterior iudicari mereatur. Imo non ita ignota est ipsorum brutorum invicem maior aut minor, saevior aut levior, ad hanc corruptionem aptitudo, quin satis vel in vulgus cognitum sit, quod verbi gratia pisces, & citius & gravius putredine corripiantur quam terrestria carnosa, tam bruta, quam ipse homo. Deinde, quod reliquam crassius consideratam texturam corporis brutorum concernit, solet aliquando allegari crassior atque firmior textura, quae quidem etiam in iumentis variis merito agnoscitur. Interim non minus ve-

rum

rum, ſane vero longe magis notandum eſt, quod etiam tenerrima animalcula, molliſſimi corporis, & certe, hominis intuitu, etiam breviſſimae vitae, nihilo ſecius privilegio hoc, ut rarius quam homo aegrotent, in ſolidum gaudeant, & qualemcumque illam vitae ſuae brevitatem, incolumitate vix ſperanda compenſatam ſentiant.

Poſt intimae materiae, mixtionis inquam ipſius ſimilitudinem, conſideranda eſt altera materialis circumſtantia; ſtructurae conſideratione. Vbi profecto iterum nemini, ne per ſomnium quidem, ulla ſtructurae organicae praerogativa hactenus in mentem venit, propter quam brutis minus corruptibile eſſe corpus, quam homini argumentari fas ſit. Cumprimis, ſi nunquam ex oculis dimittenda illa paritas etiam exiliſſimorum animalium, cum diffuſiſſimis, in conſiderationem debitam hic adhibeatur. Quid, quod notius ſit, quam humanis commodis ſubinde expediat, diffuſioris etiam molis animalia, craſſioris omnino & firmioris texturae, equos, & longe facilius, & ita etiam frequentius, & gravius, quam alias animantium ſpecies, ad ipſas uſque ſatis exiles, canum, catellorum, avicularum, & aegrotare, & in vitae ſubinde pericula adduci.

Poſtquam autem mixtionis, neque ſtructurae, aliquam probabilem praerogativam in brutis prae homine invenire licet, occurret forte in motibus vitalibus, eſſentialis aliqua atque realis ſolida praerogativa, qua bruta hominem antecellant, & hanc corruptionis minoris gratiam illi acceptam referre poſſint. Erit autem tanto magis dignum conſideratu hoc negotium, cum in motu ſeu circula-

VENETO VENEZIA

culatione ſanguinis, non ſolum re vera, (inſtrumentali reſpectu) conſiſtat primaria atque fundamentalis Vitae atque ſanitatis ratio; ſed etiam recentiſſimis aliquando praepoſtere, & alio, quam quem vere habet reſpectu, pro Vita ipſa pathologice ſumenda, allegetur. Quando vero hoc ipſum pulſus ſeu circulationis ſanguinis negotium, praeſertim ſibi relictum, & nullis occaſionibus perturbationibus temeratum, in ſe, & ſecundum eſſentiam ſui ſpectamus atque perpendimus, nemini certe in mentem veniet, nedum demonſtrationi alicui locum relinquet, quod bruta aliqua, nedum pleraque, non dicam omnia, aliquid in hoc genere praerogativae habeant, excepta in humano genere reperiunda, facili huius negotii perturbatione, ab animi motibus, ſive, ut vulgo loquuntur, pathematibus. Cum vero haec res prorſus alterius claſſis, & altioris, ut loquuntur, indaginis ſit, ut nimirum non ſolum ipſa facti veritas, ſed rationes etiam eiusdem commonſtrentur; reſervabimus id tantiſper convenientiori loco: hic autem illud omnino iterum prudenti conſiderationi commendabimus, quod iam monſtramus, quod videlicet motus vitalis in brutis animalibus nulla vera interna praerogativa, prae ſimilibus in homine, gaudeat, ſed utrobique par ſit ratio, & nihil diſpar proportio, e qua tam notabilis non ſolum ſanitatis, ſed vitae prorſus periclitantis diverſitas, accerſi atque deduci merentur. Merito profecto veremur, ne in abyſſum quendam temere committere ratem videamur, ſi cauſſam aliquam diverſitatis noſtrorum defectuum magis quam affectuum, quaeramus in diverſitate ipſius principii,

quo

quo bruta animalia ab homine distingui, in confesso est. Interim cum fere profundissimi maris longe magis pacificae sint navigationes, quam diversis brevibus syrtium atque scopulorum obsessi; non reformidamus huic etiam pelago committere navem, favente sane rationis cynosura, & regente peritae discretionis clavo. Sterilis profecto semper est disceptatio illa, qua de essentia animae humanae, sive in se spectata, sive cum brutis comparata, nugae potius aguntur, quam disquiritur. Nihilo foecundioris proventus est disquisitio illa, de modo agendi, quo anima, si non moveat, (cum illud etiam plerisque displiceat) tamen, quod nemo negare solet, motuum directiones gubernet: nedum ut aliquid conceptui idoneum, vocibus aliquid significationibus, proferatur, de Modo ratiocinandi, cogitandi, reminiscendi, volendi. Quam parum autem hae res in considerationem humanam descendere possunt, tam parum profecto, nostris inprimis, Medicis usibus idonea, nedum necessaria esse, constanter nobis videntur; cum utique sufficere nobis possit, sola, sed solida, notitia atque animadversio τῦ ὅτι Quod utique haec ita fiant, Quod anima & dirigere motus possit atque soleat, & (quod quidem de motibus animalibus in confesso est) propter finem hoc faciat, id est cum intellectu, iudicio, & proportionata directione secundum finis proportionem: & cum voluntate, desiderio proposito constanti, imo pertinaci, finem illum non magis prosequendi, quam assequendi. Reperiemus hic sine dubio intimum atque solidum fundamentum, diversitatis, quamobrem frequentior sit morborum proventus

hominibus quam brutis. Si animum advertamus, quod praecipua differentia, quae inter communes motus vitales brutorum atque hominum intercedit, consistat in discrimine constantiae, ordinis, aequalitatis, continuitatis. Deinde in observatione atque pervestigatione, non modi causandi, sed ordinis causandi, & ipsarum causarum, a quibus haec vitalium motuum promptior alteratio prae brutis in homine manifestius suscitetur. Sane vero cum tanta sit ordinis & proportionis motuum vitalium, efficacia, ad crasin vitalem, vitam inquam atque sanitatem conservandam, ut non solum defectus atque vitia illorum motuum, crasin hanc vitiare possint, sed etiam recte procedentes illi motus, ipsam labefactatam crasin repurgare atque restaurare, citra alia adminicula, possint: Inpropatulo hinc est, quod, quicquid motus vitales temerare atque labefactare potest, quo minus huic suo officio, iugi vigore atque tenore, praesint ac insistant: & quidem quicquid in homine magis evidentius imo eminentius, directe, & solemniter hanc labem producere potest, illud ipsum merito inculpari queat, quod causa praecipua existat frequentioris inter homines quam apud bruta, periclitationis, sanitatis, imo ipsius, per faciliores consequentias, Vitae.

Si iam a crassioribus materialibus partim remotioribus, partim propioribus, causis, initium faciamus, notissimum utique est, quod homines (non quidem omnes & qua tales, absolute sed tamen certo respectu qua tales) homines inquam plerique, aut sane multi, materialem causam aegrotandi variam & multiplicem corpori suo inge-

rant

rant atque obtrudant, non alio, quam rationalis quidem, id est libere eligentis, pertinaciter volentis, & obstinate exequentis, appetitus voluntarii vitio. Sicut enim merito hoc nomine allegatur, illud ioculare, quo impotenter bibuli, bovis & asini exemplo, non plus, quam ad sedandam sitim necesse sit, bibere iussi, se vero non ut bovem & aut asinum, sed ut homines (effrenes nempe, sed profecto freno dignos) bibere, argutantur: ita eodem plane iure ridetur, alterius inconsultum consilium, qui vermes puerorum, abunde ingurgitatis uvis passis interfici posse, sibi aliisque persuadere suscepit; ut vermes, tam dulci pabulo impotenter abutentes, non solum ad satietatem, sed ad corporis usque crepaturam, sese inde ingurgitent: cum animalia reliqua praeter hominem, vix quidquam, nedum tantum, intemperantiae indulgeant, nec ipsa abiecta insecta usque: quod e contra hominibus, uti solitum, ita fere proprium est. Deinde intuitu secretionis atque excretionis, exonerationis partim superfluorum, partim alienorum, notum est illis, qui veram Vitae physiologiam noverunt, quid ibi possit atque valeat, voluntarii motus & quietis, & sub his aeris ambientis varietas. Quid vero hic etiam possit atque valeat, voluntatis in homine varia pertinacia, notum est: quod contra in brutis, sive naturae quodam instinctu a priori, sive sensus alicuius impulsu a posteriori, aliter sese bere, nemo non agnoscit. Quid, quod a- homines velut in proverbio sit illa aet- de durioribus cibis, aut meliorum er- ratiore quantitate ingurgitanda

ſtrenue laborantibus uſui ſint: Quibus formulis agnoſcunt, quod utique & difficilioribus concoctu aſſumptis, fortiores corporis motus veluti remedio ſint: & maior aſſumendi quantitas, laborioſioribus corporis motibus, quadret, imo debeatur: ignavis autem non item. Concurrit autem hic, inter homines frequentiſſimum, aberrantis Opinionis, iam alienae iam propriae perſuaſioni ſtolidae innixae, lenocinium, ut partim ratione quantitatis, partim qualitatis, ingerantur, quae non ſolum corpori, ſed ne quidem ipſi guſtui (abſque opinionum frivolarum praeiudiciis conſulto) non quadrent aut conferant. Quale quid apud bruta tantum abeſt ut inveniatur, ut potius illa velut uno ore, non ſolum inquam ſapore, ſed mox odore, pleraque illorum averſentur & ab illis abſtineant, quaeipſis vel nocere, vel ad minimum nihil prodeſſe, poſſint. A qua quidem re in hoc genere tam alienus eſt humanus, voluntarius inquam, appetitus, ut etiam illas, res, quas, ſive ſaporis, ſive cuiuſcumque opinionis tandem praeiudicio ſibi praefixi, licet noxias intelligat & expertus ſit invitare, nedum abhorrere, ſaepiſſime certe vel non ſubſtineat, vel vincente graviorum incommodorum aut periculorum metu, omnimodo indignetur. Occaſione perſuaſionum alterius appetitum ſive provocantium, ſive obruentium, conſideranda certe venit illa minus convenientium

[illegible]endorum, iam quantitas, homini prae bru-
[illegible]antibus periculoſa, quae ab alieno arbitrio,
[illegible]quam, alterius atque voluntate, ipſi
Quale quid imprimis valet in infanti-
non quae debent, ſed quae ab alio-

rum

rum arbitrio habent, in corpus assumere coactis. Ratione etiam concoctionis, digestionis, excretionis, secundum necessitatem ab aliorum hominum arbitrio ipsis impositam vivere adstrictis. De qua quidem, infantes imprimis graviter affligente iniuria, nupera Dissertatione de infantum affectibus latius actum est. Quemadmodum autem voluntariae, morales inquam, opinioni & atque intentioni superstructae, tam circa assumptionem, quam assumptorum regimen, aberrationis varii sunt gradus, variae occasiones, varii fines, ita illos quidem prolixe percensere, laborioſum esset; sed sane ad nostrum propositum irritum. Nobis enim sufficit τὸ ἔτι animo impressisse, quod voluntas, intentio, desiderium opinioni superstructum, vera harum rerum origo sit, & verum fundamentum. Ab iisdem profecto, moralibus inquam, civilibus, voluntatis electione, sive coactae, sive protervae, susceptis, intentionibus; invitationibus, impulsibus, obtingunt humano corpori variae iniuriae, a rebus externis, inter quas corpus humanum versari, talibus, inquam, respectibus versari, vel contingit, vel necesse est. Ex hoc enim fonte, refrigerationis, concalefactionis, concussionis, contusionis, compressionis, collisionis, frictionis, vulnerationis, rupturae, distorsionis, imo aliarum variarum violentiarum, quam numerosae humano corpori laesionum causae ingruant imo incumbant, facile est intelligere, imo colligere. Sicut autem ad huiusmodi damna, homines revera quasi manuducunt, morales, voluntariae, proprii aut alieni arbitrii, occasiones; ita aliae quidem animantes, quae vel extra humanum arbitrium,

atque

atque imperium vivunt, vel ab externis violentiis tutae ſunt, ab huiuſmodi etiam effectibus atque eventibus talium cauſarum & occaſionum, ſecuras eſſe, rationi ſanae conſentaneum eſt.

Peculiaris autem penitus efficacia Animi pathematum in homine, abſolvit manifeſte longe maximam partem diverſitatis huius, inter proventum morborum frequentiorem apud homines, quam inter ipſa bruta. Profecto vero, nec aliorum induſtriam atque ſolertiam elevamus, neque noſtris conſiderationibus, niſi in quantum Veritati innituntur, hic aliquid tribuimus, interim illud quibuſcumque tandem, modo queſtionem recte intelligentibus, arbitris permittimus, quid in tota ſive phyſica, ſive medica doctrina, hactenus dictum & actum ſit, dignum negotio tantae efficaciae, adeoque iuſtiſſimae conſiderationis, quale exhibent ita dicta Animi pathemata. Non autem noſtrum inſtitutum fert, huic quaeſtioni diu immorari, placet potius rem ipſam, uti vere ſeſe habet, intueri. Falſi ſunt, qui animi ita dicta pathemata, corpus tumultuarie ſolum concurrere atque laedere perſuadere nobis contendunt: aberrant, qui ab his quicquam in corpore, aut de corpore, di recte laedi, ſibi aut aliis perſuadent: ſive de humoribus illud intellectum velint ſive de ſolidis partibus, ſive de ipſis, ut loquuntur, ſpiritibus. Qui etiam, quacumque tandem ratione, motus in corpore, ab animi pathematibus magis immediate laedi tandem largiuntur, errant manifeſtiſſime quando non niſi turbulentam hanc eſſe atque tumultuariam motuum in corpore ab animi commotionibus, perturbationem, aſſeverant. Te-

ſta-

ſtatur enim contrarium, totus ille, qui animi pathemata primo & immediato ſequi ſolent, affectuum, coetus; tum alias, tum in primis Nauſeae exemplo, abunde commonſtrans, quod & genus, & directio atque adminiſtratio, illorum inſolitorum motuum, qui ab animi pathematibus in corpore ſuſcitantur, evidentiſſme coincidat cum illis intentionibus, quas ſub dicto illo pathemate, animus praefixas habet, ut alibi Dn. D. Praeſes ſufficienter demonſtraſſe videtur. Sicut autem animi pathemata ita recte conſiderata, ſatis manifeſto motus vitales ordinarios, ſecundum ſuam praecipitem intentionem, concitant, & in genere dirigunt; ita tamen, ut in reliqua ratiocinatione atque cogitatione nulla huius effectus directa ſive voluntas, ſive memoria concurrat, adeo ut ne quidem in vomitus a nauſea, voluntaria aliqua explicita intentio concurrat, ſed potius quaſi averſio quaedam. Ita poſcit omni modo peculiarem conſiderationem varia illa; ſed ſemper manifeſto contra certas moleſtas aut noxias res, inſtitui ſolita in humano ſyſtemate, vitalium motuum intentio, qua illi iuſta, & quidem, illorum incommodorum a corpore, depulſioni, proportionata, & ita efficaci, ratione atque methodo, augentur, inſtruuntur, imo recte reguntur, ut eventum etiam debitum atque ſperatum, omni modo vitalem, ſortiantur.

Huiuſmodi hominibus prae brutis familiarium, imo quaſi propriorum, motuum & actuum ſpecimen, ſunt imprimis Febres. Qui etiam alii ſubinde diuturni, aliquando etiam repentini, ſubinde vero etiam Stati, conatus exoneratorii; fac-

piſſi-

piſſime etiam cum peculiari phantaſiae concurſu contingentes: uti quando plethoricis, aut ad haemorrhagias iam proxime diſpoſitis, ſomnia de lapſu in lacus, de laborioſo tranſitu per profunda vada &c. in ſomno obverſantur: pollutione etiam nocturna affectis, vix unquam ſine inſomniis tali effectui reſpondentibus, ille ipſe contingit &c. Eſt autem praeterea illud etiam maximo pere notandum, quod quidem huc uſque, quantum nos ſciamus, nuſquam tactum eſt, nedum peractum, quod illa promptitudo ad horum generum varios conatus ſuſcipiendos, Febres imprimis, quam maxime reſpondeat morali indoli individuorum; ita, ut qui alias ad agendum prompti, imo praecipites ſunt, in agendo vero, per impatientiam turbulenti, praepoſteri, feſtini, ante tempus faſtidioſi: aut contra, tranquilli, providi, ordinati, aſſidui, patientes, & per legitima media iuſtum finem adipiſci pertinaces &c. tales etiam tam ad ſuſcipiendos huiusmodi motus & actus ſeu motuum directiones atque gubernationes, quam ad eosdem recte aut perperam proſequendos, eadem illa indolis ſuae generali morali proportione, & veluti modulo, ſatis manifeſto utantur, eamque hiſce ſuis tam inchoationibus quam proſecutionibus, ſervent atque exprimant. Eſt quidem evidentior, ſed nondum certe inveni, quo uſquam loco condigne notata, nedum conſiderata, efficacia animi pathematum in huiuſmodi vitalium motuum, ad exoneraciones corporis ſalutares pertinentium & quadrantium, nova turbulenta efficacia, ad iuſtas illorum proportiones perverten-das, & ordinem illorum iuſtum turbandum; quando ta-

do talia pathemata aliena, istiusmodi institutis peculiaribus motibus super inducuntur, & denuo accidunt. Ubi iterum, animum prudenter advertentibus, manifesto diluceſcere potest, verus illo hoc etiam loco istorum pathematum effectus, quod videlicet hic non aliter, quam alias semper, etiam ille rythmum motuum pervertendi effectus, & ordinis perversi novus ordo, certe respondeat novi illius pathematis propriae indoli atque intentioni, secundum ordinem, tali ita dicto pathemati familiarem atque proprium: Iterum hic contendo, ut animus advertatur, quomodo huiusmodi animi pathemata, ordinario vitales motus, ita multis atque variis modis, non solum cito, imo momento, quo ipsa contingunt alterent atque invertant; sed etiam ordinem illorum atque legitimum progressum atque decursum, iuxta novas ideas immutent, ut inde varia extraordinaria, insolita, subinde etiam periculosa, undique vero, & certe multa & numerosa, eveniant pathemata atque morborum genera, quae a brutis utpote ab huiusmodi commotionum frequentia aliena, alienas pariter esse, rationi utique consentaneum est.

Sicut autem pathematibus animi, & quidem iure meritoque, accensetur Consuetudo; quae praecipue non solum circa motus, sed maxime circa eorum ordinem, versatur: Ita sane quanta huius vis sit circa vitales motus insolitos, tam provocandos quam revocandos, vel leviter animum advertentibus, non potest non luculentissime diluceſcere. Porro, nemo non videt, quantum occasionum ad varia sanitatis detrimenta atque pericula, inducere cor-

pori

pori ſoleat, inſigne pathema animi, quamlibet vulgo non eo quorſum debet, relatum arbitrarii, & ex opinione nuda pendentis, appetitus; nempe non ſolum eſculentorum atque potulentorum, ſed variarum phyſicarum atque moralium rerum perperam aeſtimatarum, Deſiderium Cuius ſane vim eſſe monſtrat experientia, ut etiam ipſam, corpus ſuſtentandi atque vegete conſervandi intentionem atque curam, plane a priori praeoccupet atque intervertat, imo animum (deſiderium nempe inprimis morale) vel ab ipſa intentione nutrimenti aſſumendi, abalienet: aut, phyſicarum rerum deſiderium diutius fruſtratum, tandem in faſtidium, nauſeam, odium, fatiſcat atque tranſeat, picantis gravidarum mulierum, & tranſmiſſi huius in foetum, appetitus exemplo. Profecto vero, ut reliquae moralis indolis, ita etiam phyſicorum variorum appetituum, & niſi his ſatiſfiat aut nimium & intempeſtive indulgeatur, aliorum graviorum ſucceſſuum, tranſmiſſio e matre in liberos, ſicuti familiariſſima eſt humano generi, ita a brutis animalibus ſi non prorſus abeſt, certe immenſum quantum rarius illis contingit, neque certe tam evidentes impreſſiones, ut in hominibus, in iisdem communiter relinquit. Quid, quod in humano genere, imaginatio non ſolum producere naevos, imo morbos poſſit ſed etiam rerum imaginabilium novus concurſus, priſtinas imaginatorias laeſiones tollere poſſit. Vnde varii effectus, ad naevos, imo iam adultis ſuper accreſcentia ſarcomata, & ſanguine lochiali, imo alio varie applicateo, contactu manus mortuae, bufonibus, imo terriculamentis diverſiis.

Sicut

Sicut autem a reliquis importunioribus animi pathematibus, energia atque ordo vitalis conservationis varie pervertitur: ita ex adverso, sane etiam diversis respectibus ad animi pathemata referri meretur, insolita eius alacritas & eximia, ἀχταρκὴς hilaritas, numerosis & familiaribus exemplis, labentem hactenus ordinem & successum vere vitalium, recte ordinatorum atque constantium debitorum motuum, subinde manifestissime, tanto magis quia praesentissime componens, atque adeo his etiam, vitalibus inquam, actibus rectissime velificans.

Observatur quidem etiam inter ipsa bruta simile quoddam pathema desiderii, ut verbi gratia, plurium sui generis consortio assueta, si ab illo temere astrahantur, non solum variis veluti gestibus, sed ipsius etiam cibi, potus quietis, negligentia, partim inconstantia, hanc suam inquietudinem affatim testetur. Interim inter homines non solum non minus, sed certe familiariter magis frequens, est hoc desiderium. Vnde tam aetati teneriori, quam sexui muliebri, familiarissime est illa assuescendi difficultas, inter minus notos, & contra desiderium versus notos, ut moerore, lacrimis, ciborum fastidio, somni inquietudine, pavoribus, timoribus testentur, quod sermonibus profitentur. Et meretur omnino de negotio legi Celeberrimus Harderus, Dissertatione de Nostalgia. Sane vero, non solum quod varia mala, sed quod etiam horum insultus repetitos, subinde inferat atque pariat, varium huiusmodi desiderium, videre subinde est apud foeminas inprimis, quae recordatione cognatorum, liberorum, aut

quorumcunque meliorum atque commodiorum, temporum praegreſſorum, ſubinde in paroxyſmos quosdam dolendi, moerendi, lamentandi, & tandem lacrimandi, prolabentes, varias inde appetitus, quietis, concoctionis, anguſtiarum circa praecordia; dolorum vehementium in capite, deteriores conſequentias, atque valetudinis ſuae labes, incurrunt. Vt de Erotomania, furore uterino, imo in viris e ſimilibus occaſionibus, melincholico-maniacis affectionibus, nihil dicamus.

Supervacuum videri poſſet, mentionem ſubiicere violentarum, voluntariarum activarum laeſionum, quae iam homini ab homine inferuntur; iam ex protervia, temeritate, improvide admiſſis imo accerſitis occaſionibus, in corpus humanum redundare ſolent; brutis incognitae. Sicut enim homo hominem facilius, & communiter gravius, odit & laedit, quam brutum unum non ſolet alterum, inprimis eiusdem ſpeciei, odiſſe aut laedere: ita etiam ex hoc fonte, largiter profluit frequentia illa; qua homines, & multis, & variis laeſionibus magis afficiuntur, quam bruta. Neque vero hoc ſolum; ſed pullulant inprimis ab hac radice tum varii ſuccedentes morbi graviores, tum aſſuetudines variae, morbidae utique, & ad ulteriores graviores morbidos affectus, viam ſternentes. Supereſt ut illam obſervationem adiiciamus, quae frequentiam aegrotandi, quam hactenus hominibus prae brutis familiarem delineavimus, & cauſſas eminentiores, veluti per ſpecies exibuimus etiam inter ipſos homines diverſimode ſeſe exſerere, in memoriam revocet; & evidentiorem etiam huius differentiae cauſam inſpiciamus, ut tandem

de-

denique collectionibus huiusmodi, conclusionem iustam adiicere, & quaenam sit eminens caussa universae huius diversitatis, definire valeamus. Illud nemo nescit, quod homines alii prae aliis, promptius morbis sint obnoxii; unde loquendi formula plebi familiaris, quod hic ille, robusta, firma, sanitate gaudeat; a morbis, & dispositione morbosa alienus sit, morbos, ut loquuntur, ignoret. Huiusmodi homines si conquirere velimus, seu ubi inveniri possint, animum advertere, deprehendemus, quod nusquam foecundior sit illorum proventus, quam inter rusticos & plebeios; apud gentes, ut vulgo loquuntur politiores, verius molliores, & luxum in more, imo inter bonos mores primo loco, positum habentes: Apud alias enim nationes, quas vulgo incultas, imo feras appellare consuevimus, toti genti haec sanitatis maior constantia communis observatur. Quando iam inter nostrates inprimis, animum ulterius advertimus ad evidentes aliquas circumstantias, quae causalem rationem hic habere videri possint, constantissimum, & inde ipsi adeo plebi notissimum, deprehendemus, quod homines simplicioris diaetae, laboriosioris vitae generis, & animi a sollicitudine & cogitabundis curis alieni, illi sint, qui hanc praerogativam constantis sanitatis possideant: cum ex adverso illi, qui tum in assumptis, tum in animi pathematibus, curis, sollicitudinibus, contrario modo sese habent, verbo, gulae & animi mollitie maiore laborant seu fluctuant, morbis etiam magis expositi imo obnoxii sunt. Exserit sese haec ratio etiam alio adhuc observationis quotidianae phaenomeno seu circumstantia, quod homines stu-

pidi , adeoque non ſolum a ſollicitis & diuturnis animi pathematibus , ſed etiam a teneriore ſenſu, & quae illum ſequuntur , animi commotionibus alieni , revera in hoc genere praerogativam brutorum prae aliis hominibus aemulari obſerventur. Notior inquam eſt haec res , quam ut prolixa deductione indigeat. Imo fas quam maxime eſt , adiicere etiam illam animadverſionem , qua deprehendimus , quod etiam robuſtiores illae naturae inter plebeios atque agricolas , ſi ibi etiam ad terrores , ad timores , ad iracundiam procliviores nanciſcantur occaſiones, peius inde familiariter habere incipiant, & magis magiſque gravioribus incommodis implicari: adeo ut plerumque male ipſis cedat conſilium illud ſuum , requieſcere ſe velle ſenectute incipiente per ea quae longis laboribus acquiſiverunt : ubi ex adverſo potius ab hoc tempore demum male habere incipiunt , & indies gravius hinc afficiuntur. Notabile huius generis exemplum exhibent acta Anglicana , de Viro centum annos plus una decade ſupergreſſo, quem cum Dux quidam, rariſſimi exempli gratia, in aulam ſuam adſciviſſet , eumque ibi lautius habendum curaret, memoratur hic ipſe Vir inde notabile diſpendium ſanitatis atque virium mox ſenſiſſe, & ſubſecutam ulterioris vivacitatis abbrevationem, hinc praeſagiiſſe. Quid, quod iam etiam in vulgus notum ſit , quam facile & varie incommodis tentari imo occupari ſoleant illi, qui craſſiori & ut loquuntur duriori victui aſſueti , ab illo ad mollem diaetam tranſeunt. Adeo, ut hic etiam interdum ab ipſo Medico peccari poſſit, mollem diaetam praeſcribendo illis , qui qualiter-

cum-

cumque duriori dietae assueti imo dediti sunt. Sicut enim alias ingens error est, quando in vulgari praxi ventriculi frigiditati tribuitur, quod potius a sanguinis circa illum redundantia, & ab huius impatientia subnatae atoniae effectu, flatulentia, deducendum erat: ita profecto haec etiam ventriculi debilitatio a mollioribus cibis, sive proprio sive alieno arbitrio perperam in usum ductis, quotidianis exemplis observari poterit.

Omnibus his rebus ita ordine deductis nihil aliud supereſt, nisi ut tandem subducto aulaeo, quid nobis hic conspiciendum videatur, exhibeamus. Certe, qui hactenus dictis animum paulo saltem attentius adverterit, non poterit ipsum fugere, quod verae causae, variorum & frequentium, corpus humanum male habentium effectuum, qui in brutis non eodem numero aut impetu reperiuntur, nihil aliud sint, quam directi effectus & actus Rationis humanae. Humanae, inquam Rationis. Vbi mox tacere iubemus otiosos scholastes, qui, ubi rationis mentio iniicitur, absurde, imo turpiter in ipso limine cespitantes, de illibata & absolute intelligenda ratione assumere atque argutari suscipientes, nihil, nisi magno conatu magnas nugas agunt. Quis enim de humana Ratione loqui suscpiens, aliud quicquam exprimere in mentem admittat, nisi corruptam, ut est, Rationem. Profecto posteaquam eo processerit negotium, ut etiam varii rationis aberrantis lusus, imo luxus, pro cultis, sive ut loquuntur politis moribus sint, alienissimum certe ratione quantumcumque ad se redeunte fuerit, aliud quiddam sub appellatione atque mentio-

ne rationis, in hac materia intelligere velle, quam rationem humanam res ſenſuales perverſo iudicio, male intelligentem ſeu interpretantem, & magis pervicaci, quam ordinata voluntate, propoſita ſua ſeu deſideria inſectantem. Haec eſt, quae circa tempus, quantitatem, qualitatem, modum, aſſumendorum, varie titubando, luxuriando, numeroſis incommodis anſam praebet, a quibus animalia bruta tantundem, quantum a tali cauſa, aliena ſunt. Haec eadem eſt, perverſa voluntate, iam motibus, iam quiete, iam otio, iam negotiis, perverſe corpus exercens, & inter aeris varias vitioſas alterationes varie exponens, multis gravibus malis conſequentiis, eo ipſo illud offert atque obiicit. Haec eſt, quae ita dictis animi pathematibus, motus etiam Vitales, eorumque rythmos atque directiones, pro ea, qua in ipſos pollet, poteſtate, obturbat, confundit, exagitat, ut inde in corporis reliquam Oeconomiam aeque, atque tandem ipſam ſubſtantiam & materialem conſtitutionem, graviſſima pericula atque damna ſaepe numero redundent. Haec eſt, quae perverſis aſſuetudinibus, actus perverſos ſuſceptos, tandem penitus in habitum deducit, & malis ſuis actionibus in peius proferendis indulget. Haec eſt, quae partim & arripit occaſiones, partim temere ambit aut ſubit, quibus ab alterius individui pari perverſa rationis atque voluntatis concitatione, multae violentae laeſiones ab uno corpore in alterum emanare atque transferri ſive exerceri poſſint atque ſoleant. Imo haec ipſa eſt, quae etiam bruta animalia, perperam & perverſe illis utendo, imperando,

in-

inſiſtendo, inhiando, his ipſis etiam, quae attingit atque aſſequitur, violenter, aut certe inſciis illis, & invitis, eiuſmodi laeſiones inducit & conciliat, quae circa humanam culpam, nunquam in illa, aut non niſi rariſſime, cecidiſſent. Quid vero dicamus de illa, ſuo corpori per extraordinarios operoſiores motus, & actus conſulendi, temeraria ſubinde, ac veluti proterva, audacia atque conatibus. Certum profecto eſt, & Febriles, & ſpaſtico convulſivos motus atque conatus, innumeris exemplis, magis impatiente atque temerario auſu, quam directa neceſſitate, non ſolum concitari, ſed etiam paribus quibus ſuſcipiuntur, ataxiis, continuari, & vel difficulter ad tolerabilem, vel certius ad perditum exitum impelli. Imo, licet vix unquam ſine omni cauſa, aut ſine omni moderamine, tale quidquam ſuſcipiatur; fit tamen revera ſaepiſſime, imprimis quando reliqua indoles in genere, huiuſmodi perverſionibus affecta eſt, ut non ſolum ante, quam vere opus ſit, ſed & aliter deinde, quam vere uſus ſit, & ſuſcipiatur, & ulterius deducatur univerſium talium motuum conamen. Profecto vero exſerit ſeſe hic etiam illa immatura, rebus ſuis conſulendi ſapientia, & intempeſtiva ſatagendi libido, qualis circa res morales atque civiles naſutulae polypragmoſynes nomine venit, ut temere, non ſolum ante, quam neceſſitas poſtulet, ſed & aliter, quam rerum indoles ferat, agere, reſiſtere, & operoſos effectus conſequi, ut alibi ita hic etiam, humana ratio in animum inducat. Hiſce paulo magis reconditis rebus, ſi iungamus aut ſubiungamus, manifeſtiores illos ef-

ctus, quos Ratio humana, figurans, imaginans, fingens, praesentissime atque manifestissime producit, in incutiendis naevis maternis; imo in illis iterum destruendis: habemus patentem campum, efficaciam huiusmodi, Rationis in corporis substantiam atque energiam, veluti detracta larva adspiciendi? Vbi certe, imo in universo hoc negotio, sterilis est oppositio illa, quod ratio humana horum actuum aeque ac effectuum sibi nihil conscia sit; cum satis constet, eandem etiam in notoriis suae directionis negotiis, de modo agendi aut fiendi nihil omnium cogitare, sive sibi praefigurare: quod non solum de diiudicatione sensuum gustus, olfactus, imo ipsius visus, certum est: sed tanto magis de moderando gradu motus seu impulsus, pro assecutione certae distantiae, sive iaciendo, sive saliendo; sive acute, aut graviter ad certum sonum, vocis organa adigendo &c evidentissimum. Non laborabimus prolixe, pro hac re, omnibus, quae dari possunt, exemplis, in medium prolatis, stabilienda; sufficit nobis rem ipsam dixisse, & tam physico - Medice ipsam veritatem, quam moraliter, lapsae rationis culpam, ad corpore suo perperam utendum, indicasse: ut hinc etiam prospicere liceat ad illam Theologicam veritatem, quod & morbus a lapsu naturae humanae, & prava concupiscentia pendeat, & mors ipsa peccati sit merces: tanto facilius nempe, cum ex perversae rationis atque voluntatis culpa, non uno, nisi generaliter, sed tot specialibus modis, quot morbis eorumque ita moralibus occasionibus, porta morti aperiatur.

DIS-

CHRISTIANI MENTZ

LONGO-SALLIS. THVR.

DISSERTATIO

DE ANIMI COMMOTIONVM VI MEDICA

PRAESIDE

IO. WILHELMO PAVLI.

DISSERTATIO V.

DE ANIMI COMMOTIONVM VI MEDICA

VIs, ſ. quod idem eſt, Virtus in generali ſenſu ſumta, ſignificat potentiam ſive facultatem rei alicuius, ex qua iſta res effectum quendam praeſtat actu vel potentia.

Vellem nunc, ut mihi etiam liceret eadem brevitate exponere ſignificatum animi commotionum, ſed fruſtra id opto, nam cum pariter varia ſit acceptio vocum harum, neceſſe eſt, ut prius eas ab ambiguitate liberem. Sumitur vero animus quandoque pro indole nativa, v. g. dum *Virg. l.* 2. *Georg.* de arboribus ſcribit, quod cultura exuant animum Sylveſtrem: Deinde pro audaciae & deſperationis Synonymo habetur ap. *Iuvenal. Satyr.* 6., ubi invehitur in illos qui iram & animum ex crimine ſumunt: porro, quibusdam animus idem plane eſt, ac anima immaterialis, rationalis ſive mens, hinc ponitur per cogitationem, & dicitur, quod per illum ſapiamus, tandem accipitur pro ſpiritibus ſive materiali vitae ac ſenſuum principio, vel, ut Ariſtotelici loquuntur, pro forma ſubſtantiali ſive anima vegetativa & ſenſitiva, & hoc ſub ſenſu etiam mihi

in

in praeſenti non minus venit, ac Medicis alias Syncope animi vocatur Deliquium.

Reſtat adhuc ſubiicienda incudi examinis vox commotionis, ubi noto, eam ſubinde accipi pro ſimplici motu *locali*, quando nimirum aliquid e ſpatio in ſpatium transfertur v. g. oculus aut manus; alio tempore commovere denotat idem ac excitare, v. g. bellum, tumultum &c. Veruntamen hae acceptiones non ſatis exhauriunt vim termini noſtri, ſi praedicetur de animo, tunc enim non iram tantum aut inſaniam uti vult *Cicero*, ſed omnia in univerſum pathemata & ſenſus impreſſos, indigitat ex *Peripateticorum Williſiique* ſententia, quam ipſam nunc quoque meam facio.

Patet igitur ex his ſtatim, quodnam ſubiectum inhaeſionis commotionum animi ſtatuam, ſc. materiale illud principium vitae & ſenſuum, quod cum Philoſopho eius ſectatores animam ſenſitivam, alii vero ſpiritum hominis vitalem, uti modo monitum, dicunt. Hae enim moleculae, ob texturam ſumme ſubtilem, & plus quam aetheream, prae cunctis reliquis corporis noſtri partibus ſunt aptae, ad impreſſiones obiectorum ſenſibilium ſuſcipiendas & transvehendas, imo cum inſuper conceſſam a prima creationis origine ſentiendi, facultatem habeant, etiam illas ad cognitionem obiecti determinari, & vere percipere ac ſentire, firmiter mihi eſt perſuaſum.

Ad aſſerendum vero hoc adigor, quod animi commotiones non in hominem ſolum, ſed bruta quoque cadant, in quibus nullum aliud praeter hoc activum principium ineſſe obſervatur, a

quo

quo effectus hic possit sperari. Solidae namque partes non minus quam fluidae, quascumque etiam in ipsis nobis concipiamus configurationes & mecanismos, propter nimiam materiae crassitiem ineptissimae manent manebuntque, quicquid etiam de illarum singulari plane conformatione quidam e recentioribus somnient: quandiu enim corporeitas ac crassities in sensus incurrens in ipsis deprehenditur, nulla figura, seu sit sphaerica, seu cylindrica, elliptica, triangularis, cubica, hexagona heptagona, polyedrica, & nescio quae non alia, in se aut sola, ad sensum perficiendum erit apta.

Manet itaque inconcussa opinio nostra de primario animi commotionum subiecto, absolute spectato; nihilominus si in homine eae considerentur, negandum non est, plerumque concurere mentis cooperationem, veluti qua motus eiusmodi animae sensitivae sive spirituum solenniter determinantur, corriguntur, ac compescuntur, idque si acciderit, vix umquam extra orbitas egreditur impetus illorum. Accidit tamen quandoque, ut dictamini rectae rationis repugnet anima haec materialis, & fraenum a ratione iniectum non modo mordeat, sed etiam calcitrando contra has habenas, easdem rumpat, & hinc equi effrenis ad instar quaquaversum feratur; hoc igitur si contingat, non solum omnes functiones, a spirituum motu dependentes, turbantur, sed sanguinis rivus reliquorumque humorum cursus quoque in ἀταξίας adigitur, ac ipsi animae rationali simul alterationes notabiles inducuntur; imo si tamen illa plane superior facta, hanc captivam ducat, miserrima omnino fit hominis conditio, quia eo ipso bestiis

non

non tantum ſimillimum redditur animal rationale, ſed etiam deterius longe evadit, ratio namque brutalis facta, ad omnem exceſſum ducit ſunt verba *Williſii de Anima brut. c. 7 p.* 64.

Praemiſſis his nunc animi commotionum formalitatem, ſeu ut clarius loquar, notionem, qua mihi illas concipio, tradam: quod vix commodius fiet, quam oſtendendo, univerſa pathemata, quocunque etiam nomine veniant, commode in duas claſſes diſpeſci poſſe Aut enim in illis ſpiritus circa obiectum aliquod verſantur bonum, aut circa malum: bonum ſi fuerit, delectantur illo, hinc ſemper ex interioribus feruntur ad exteriora, ſeu ut ſtylo recentiorum id efferam, ab intuitu obiecti grati in elatere nimis expanduntur: malum vero reformidant, adeoque dum iſtud fugiunt, ſeſe ex partibus exterioribus recipiunt ad interiora, vel ſi mavis, eorum elater comprimitur ac quaſi figitur.

Effectus igitur animi commotionum occurrit in ſpiritibus, hoc vel illo motu agitatis; ſemper tamen ille diverſus, h. e. plus vel minus talis exiſtit, non ſolum pro obiectorum malitia & bonitate diverſa, verum quoque prout haec mala vel bona aut ſunt praeſentia, aut futura, aut praeterita. Praeſentia ſiquidem omnium vehementiſſimum motum in illis concitant qualis etiam nonraro eſt, qui a futuris excitatur, ſi nimirum prope immineant; Quod ſi vero e longinquo ſaltem appareant, notabiliter etiam infringitur impetus: magiſque adhuc in praeteritis, utpote quae motum impertiunt omnino mitiſſimum, imo haud raro penitus contrarium.

Alter

Alter effectus notatur in sensatione ac reflexione super obiecta, unde posthac resultant ideae variae, quae subinde diutissimae & per longa satis spatia impressae manent, ac iterum iterumque repraesentantur, adeo ut talia subiecta nil aliud cogitent aut loquantur, nisi animo infixam hanc ideam, maximaque saepius cum pertinacia ac morositate adversus omnes, qui contrarium defendunt, pugnent. Alio tempore minus infixae haerent impressiones, sed brevi interposita mora cunctae rursus dimittuntur, sic ut ne tantillum restitet, quod Memoria suo tempore reddere possit. Sicuti vero in priori casu vix aliter fieri potest, quin summa inferatur iniuria functionibus cunctis, ex commotione ista spirituum summa: ita in altero aut penitus nihil sequitur sinistri, aut tam celeriter omne dissipatur iterum, ut non mereatur considerari.

Tertius effectus in fluidis corporis partibus se manifestat, quae quandoque exagitantur & summo cum impetu per universum illud moventur, sic ut inde vel tumeant solum notabiliter vasa, vel ab ebulliente nimium sanguine, aestus & Haemorragiae gravissimae nascantur; Ab aliis plane contrarium accidit, nempe sistitur humorum motus, imo textura & fluiditas nativa ab ipsis simul tollitur, unde facies pallescere, & motus organon contremiscere, corporique universo extremum non raro periculum imminet.

Quartus effectus in solidis conspicitur partibus, imprimis nervis & fibris motricibus, quae distenduntur, moventur, ac concutiuntur saepe gravissime, ab huc vel illuc fluentibus spiritibus.

Hinc

Hinc oriuntur, nobis inſciis, & ſaepe invitis, mirae iſtae, ſolennes tamen, oris, manuum, pedum, pluriumve internarum partium commotiones, e. g. ut indignabundi, cum impetu pedes allidamus terrae; gaudentes, cum iubilo ſubſultemus, erectiſque ſupra caput brachiis cachinno ſolvamur; moerentes, frontem corrugemus & ſuſpiria ducamus frequentia; timentes fugiamus, cum tremore artuum; irati, furiis agitemur; rem deſpicientes, labia & nares contorqueamus; & imprimis oculos ad quas vis perturbationes ita pene ſolemniter conformemus, ut ex illis noſtri animi ſenſa legi, & quaſi in ſpeculo cerni ab adſtantibus prudentiorioribus facile valeant. Quid, quod inſuper facto hoc ſpirituum impetu, indeque orta fibrarum commotione, circumfluentes humores nunc urgeantur ac trudantur quaqua verſum, nunc verſa vice, a contrario ſpirituum fluxu & retroceſſione a peripheria ad interiora, conſtrictis fibris & tubulis, in ſuo motu impediantur, imo penitus ſiſtantur.

Sed ne quis forſan pro figmentis & mero ingenii luſu habeat, quae modo de animi commotionum formalitate diſſerui, experimentis quoque rem declarabo, prius tamen nomina praecipuorum horum affectuum erunt recenſenda. Sc. affectus animi, qui circa obiecta gratum, illudque praeſens, verſantur, ſunt imprimis Ira, Gaudium, Voluptas, Amor cum fruitione coniunctis; qui bonum obiectum, futurum tamen, habent, nominantur Spes, & Deſiderium &c. Ingrata praeſens idea in Terrore, Dolore, Odio, Triſtitia, Invidia, Deſperatione; & futura in Metu & Au-

dacia

dacia deprehenditur: Praeterita denique obiecta mala itidem voluptatem ac gaudium, Exultantiam, &c.; bona vero dolorem & triſtitiam concitant, &c. Cuncta igitur, quae in praecedentibus de duplici motu ſpirituum, aliiſque effectibus exinde oriundis monui, facile de ſingulis his pathematibus comprobari poſſent, niſi nimis prolixum id eſſet, ſufficit proinde demonſtratio in ira, & terrore, tanquam commotionibus omnium impetuoſiſſimis.

Prodeat hinc homo ira ſuffuſus, ſive enim in illo ſpectes ruborem faciei ſubito excitatum, ſive oculorum micationem, ſive vultum horridum, ſive muſculos per totum corpus ſubſultantes, ſive pulſum magnum & vehementem in arteriis concitatum, ſive ſanguinis profuſionem non raro ſatis enormem, ex vaſis ruptis natam, ſive alia plura Symptomata, ubique ſane reperies, quae niſi praeconceptae opinionis peplo penitus fueris occoecatus, clare ac diſtincte, praedicti ſpirituum ex interioribus ad exteriora motus, ideae furioſae ipſis impreſſae, agitationis ſanguinis impetuoſae, commotionis & conſtrictionis fibrarum ſigna, ſuggerunt evidentiſſima.

Nec aliud quid, niſi retroceſſionem & fugam ſpirituum ex peripheria, ideam maxime timidam ac deſperabundam, ſanguinis motum inhibitum, eiuſque coagulationem factam, tandemque fibrarum vel rigeſcentiam, vel tremulam vibrationem, deprehendes in homine terrore perculſo, utpote cuius genae cadaveris in modum palleſcunt, manus, pedes, motuſque organa reliqua

rigent aut tremunt, ſanguis tardius aut plane non circulatur, diaphragma uno ſed lento tenore ſubinde deprimitur, (unde ſuſpiria formantur & gemitus) reſpiratio gravior fit, lingua torpeſcit, ſaliva inviſcatur, vox faucibus haeret, ut reliqua taceam concomitantia aut conſequentia ſymtomata.

Cum itaque, uti iam ex parte monitum eſt, vim hanc Medicam animi commotiones in omnes corporis partes exſerant, adeoque ex morbis humorum non ſolum, ſed ſolidarum quoque partium ac ſpirituum plures poteſtatem eius agnoſcant, ſeſeque faſcibus his lubenter ſubmittant, de ſingulis his neceſſum eſt diſſeram fuſius ac ſpecialius.

Incipiam ab humoribus, & quidem primo illorum motu deficiente. Quid notius eſt, quam a Gaudio, Laetitia, Iubilo, Verecundia, ſimilibuſque affectibus, pallidum faciei colorem cum roſeo ac vivido pene in momento mutari? Quod non ex alia cauſa mihi provenire videtur, quam quod torpeſcens ſanguis ad rapidiorem diſponatur motum, per agitatos ab his pathematibus, & animi commotionibus ſpiritus. Aſt ſemper magis conſpicuus fit effectus hic, pro maiori vehementia commotionum praedictarum, adeo ut non mirum, ſi ſanguis in articulationibus ſtagnans Arthritidemque aut Podagram in illis producens, Irae beneficio fuerit excuſſus quandoque, & inde oriundus dolor conſopitus, cuius exemplum habet *Horſt. l. 3. P. 2. o 8.* de viro ſumme podagrico, ipſo paroxiſmo iniurioſis verbis a milite in contentionem vocato, qui utut iſto tempore vix pe-

pedes de loco movere poterat, tamen exinde ira incendebatur tanta, ut de lecto ſubito ſurgere ac in crines iurgioſi antagoniſtae involare habilis redditus fuerit. Simile quid refert *Pechlinus Obſ. Phyſ. Med. p.* 464. de podagrico tubicine, ex vehementi partis affectae ad lecti poſtes alliſione, a Medicaſtro nequam facta, in iram & furorem rapto, eiuſque ope ex tempore ſanato. Omittam alia exempla, qualia idem Autor *l. c.* refert de diverſis belli ducibus, podagrico paroxyſmo liberatis, eo momento, cum in aciem cum hoſtibus eſſet deſcendendum; illis namque non eſt opus, cum ex his ſatis appareat, pravos humores, firmiter licet impactos, effreno iſto ſpirituum motu e ſedibus ſuis fuiſſe deturbatos.

Nec aliud quid de ſero annotatur in motu ſuo impedito, nam & illud per vehementes animi paſſiones ex voto quandoque ad motum diſponitur, veternuſque illi inhaereos, hac animi pathematum aſperitate excutitur. Dudum id cognoverunt Medicorum Principes *Hippocrates* & *Galenus*, dum in frigidis morbis iram remedii loco laudant; quorſum etiam ſpectat conſilium *Cratonis L.* 6. *Conſil.* Illuſtri cuidam Principi paralitico datum, cui inter alia levis excandeſcentia commendatur. Et ne ſola ſpeculatione inniti aſſertum hoc appareat, en experimenta: *Horſtius l.* 3. *Conſ. Ep. ſ.* 12. ab Hildano ſibi communicatum refert, quendam virum a tribus annis paraliticum, cum nocte quadam urbem, quam inhabitabat, ab hoſtibus captam intelligeret, e veſtigio in tantum furorem actum eſſe, ut cum civibus ſuis pugnaturus e lecto pro-

silierit, & strenue steterit in acie, ab omni morbo liberatus. Concordat cum hoc *Valeriolae hiſtoria l.* 2. o 4. exhibita, de viro multis annis, pedum usu ex hoc morbo destituto, qui vehementer excandescens, cum incensis aedibus nullus famulorum succurreret ipsi durissimo namque hoc necessitatis telo adactus praecipitem se per fenestram dedit, indeque perfecte convaluit. Et tali excandescentia Titi Vespasiani filium quoque a partium resolutione liberatum refert *Crato l. c.*

Quod de ira nunc adstruxi, id a gaudio & risu itidem est observatum. Gaudio namque, podagricos dolores esse consopitos, Autor est inter plures alios *Nic. Pechlin. c.* 3. o. 26. *p* 467. adducens virum, cui oblati Consulatus nuncium, quod officium Vir hic dudum anhelaverat, podagricos dolores, per aliquot septimanas iam iam tyrannidem suam exercentes, auferebat, pedibusque potentiam pristinam reddebat in istanti. Huc referri quoque meretur cura Podagrae per Musicam, cuius testimonium reperitur apud eundem Autorem *p.* 472. Quis enim dubitat in binis his aegris ideam gratam vel ex laeto illo nuntio vel soni eutonia ac dulcedine in spiritibus excitatam effeciſſe, ut ipsi iucundo hoc sensu afflati, causam morbificam, h. e. stagnantes humores aequali suo placidoque motu dissipaverint? Imo alios praeterea morbos doloroſos Musica sola deliniri posse, exemplo suo Carolum IX. Galliarum Regem solenniter comprobasse, referunt Gallicae Historiae Scriptores.

Risus quid valeat in his affectibus, planum facit *Laurentius de Medicis*, de quo *Chronicon Spi-*

ren.

renſe refert, eum ex recitata ſibi hiſtoria quadam lepida ad riſum fuiſſe invitatum adeo ſalubrem, ut lethalium dolorum & ſymtomatum omnium fuerit oblitus. Egregia quoque eſt obſervatio relata in *Eph. Germ. D.* 2. *A.* 1. *o.* 1. de quodam Muſico Melancholia graviſſima correpto, cui, pharmaca cuncta reſpuenti & nihilominus ea anxie poſcenti, Medicus cantici illius eccleſiaſtici *e coelo venit Angelorum cohors:* clauſulam, una cum eius uſitata melodia in charta remedii loco notabat; qua formula inſpecta in tantum ſolvebatur cachinnum aeger iſte, ut perfecte reſtitutus, iſta ſtatim hora grabatum reliquerit. Deſino igitur mirari, cur Hypathenſes in Theſſalia una cum Spartanis & Romanis riſum pro Deo coluerint olim, & Tibareni ſummum bonum in hoc affectu conſtituerint, cum dolores non minus, quam Melancholiam adeo feliciter pellat.

Sequitur nunc vis Medica commotionum animi, in nimio humorum motu ſufflaminando ac compeſcendo. Nota eſt in vulgus terroris potentia in Haemorrhagiis narium ſiſtendis, dum adſtantes nuchae aegri frigidam affundunt ex improviſo, aut alio ſtrepitu excitato, v. g. bombardae exploſione aut voce ſtentorea terrorem iſtis incutiunt. Ipſe id aliquando notavi, cum virgini ſponſae tuſa eſſet vena in talo, ſanguiſque cum ſaltu prorumperet deſiderato, ex ſponſi inexpectato ingreſſu omnem iſtum fluxum incantamenti ad inſtar cohibitum eſſe, ſic ut ne guttula quidquid etiam ageret Chirurgus ſollicitus, ulterius potuerit elici. Frequentiſſimae hinc au-

diuntur foeminarum querelae de menſibus per terrorem ſuppreſſis, poſſemque, ſi opus foret, plura exempla mihi nota referre, ſed ſatis puto tantum adduxiſſe, *Eph. Germ. D 2. A. 8 p. 385. Rolfinck Epit. Affect. Partic. l 14. Pechlin. l. 3. o. 24.* Cauſam phaenomeni huius ſi cupias, dico quod Spiritibus per terrorem ad cerebrum retropulſis, iſti non ulterius debite influant ad cor a cuius tamen vigore & activitate localis ſanguinis motus dependet potiſſimum.

Inſuper tamen terrore aut ſimilis indolis pathemate mutatur tota ſpirituum craſis, quo ipſo etiam ſanguini novam induci texturam neceſſe eſt, vel ut clarius loquar, coagulatur ſtatim hic ſi ipſum deſerat elater vitalis, terrore compreſſus; niſi enim temperamentum aegri & iuſta fluidorum mixtio in illis adſit, (quam tamen a priori vix clare & diſtincte iudicare poſſumus) ſaepe loco remedii terror fit cauſa mortis, *Confer. obſ. Dom. Dom. Hoyeri* quae legitur in *Eph. Germ. Dom III a. III. obſ.* 47 *p.* 54. aut ſaltem peſſimis & lethiferis Symptomatibus dat anſam, prout *Excellentiſs. Rivinus in Tr. de Peſte Lipſ.* fuſius circa explicationem originis & propagationis huius morbi egregie demonſtravit. Proinde, moderatam tantum coagulationem ſanguinis a terrore, moerore, ac timore poſtulamus pro ſanandis morbis, cuius felix operatio nititur non ſolum obſervationibus §. praec. adductis, ſed aliis inſuper, e quibus adhuc commemoro *Gabriel. Clauderi, in Eph. Germ. Dom. 2. a. 5. o. 196.* relatam, de foemina diu vexata ebullitionibus ſan-

gui-

guinis, de die non ſolum moleſtiſſimis, ſed etiam de nocte ſomnum per quam inquietum reddentibus, quas moeror ex adverſa fortuna natus, praeter intentionem paulo poſt ſuſtulit omnes.

Sed uti nominatae nunc commotiones ſpirituum fluidas ſanguinis partes coagulant; ita dantur aliae, quae reſolvunt ſpiſſos & craſſos humores, e quibus prae omnibus ira venit nominanda: Facile hinc ſubſcribo citati modo *Clauderi* ſententiae, quam in allegata obſervatione proponit, nempe ira mediante reviviſcere balſamum vitalem in ſenibus, quatenus mucoſam phlegmatis viſciditatem, illum ſolenniter ſuffocantem, diſcutiat. Ideoque non alio ex fundamento gaudium ſaluberimum dicit *Fernelius* ſenibus, & vitae ſedentariae deditis, aliiſque, quibus humorum coagulum fixos producit morbos. Suppetit nobis teſtimonium celeberrimus *Peyreskius*, prout a *Gaſſendo in vita eius* proditur, hic enim, cum aliquando Rheumate inſigni, ſimulque renum dolore laboraret, & alia vice ex levi Apoplexia paralyticus factus eſſet, primum affectum, per lectionem praefaminis *Gloſſarii Archelogici Henrici Speelmanni*, propulſavit, ex altero vero per literas celeberrimi *Thuani* cum gaudio lectas, & cantum hymni, in honores Lilii Roſaeque compoſiti, rediit ex voto in gratiam cum ſanitate adverſa, in iſto temporis puncto: nam aphonus hucuſque, cum laudes decantare hymni dicti vellet, recepit libertatem non linguae tantum, ſed omnium membrorum antehac reſolutorum. Addi

his casibus meretur cura Icteri per gaudium concitatum in quodam, cui nuntius referebat, ipsi iam Seni, filium esse ex coniuge iuvencula natum *conf Peclin. p* 467. Nec novum est, Cachexius feliciſſime ſuccurri, ſtatim ac aegris animus redit, antea curis aut aliis obiectis adverſis preſſus; hinc Venus etiam non raro medica obſervatur, virginumque aufert colores foedos *conf. Æginet. l.* 1. *c.* 35.

Sed velim itidem hic notetur, ſpiritus vim ſuam in perſanandis morbis, non ſemper ſolum reſolvendo humores, exerere, ſed ſimul imminuendo vere quantitatem eorum abundantem, dum eam nunc inſenſibiliter conſumunt, nunc vero ad emunctoria naturalia transferunt, aut per vaſa rupta exturbant. Ad primum effectum h. e. *conſumptionem* minus ſenſibilem, comprobandum, teſtem voco *Hipp. l.* 6. *Epid. Com.* 5. *text.* 23, ubi Venerem Catarrhalium morborum curatricem pronunciat, illudque exemplo *lib.* 1. *Epid text.* 71. confirmat & alio *lib.* 1. de Dieta, Timocharum nempe, Coryza laborantem, Veneris uſu curatum eſſe, quod ipſum quoque confirmat *Æginetae* obſervatio *loc.* modo *cit.* aducta, de diuturno alvifluxu Venere exſiccato, & *Amati* qui *Luſitani* ipſam Dyſenteriam impudico congreſſu eſſe ſanatam, *Cent.* 2. *cur.* 47. prodidit. Pro Altero autem ſtabiliendo, provoco ad Diarrhoeas biliosas & Vomitum, quae in ſubiectis quamplurimis oriuntur a vehementi excandeſcentia, *conf. Ridlin. Lin. Med. A.* 4. *p.* 912. Huc refero etiam curam Gonorrhoeae vel Pollutionis nocturnae, a Coitu rei-

reiterato expectandam, illis praeprimis subiectis, quae non tam a debilitate harum partium quam copia vel seminalis liquoris in prostatis vel seminis in vesiculis seminalibus, morbos hos contraxerunt, de qua *vid Foreſt. l.* 26. *o.* 11. *Campanell. Medicin l.* 6. *c.* 20. *Art.* 4. Pro ultimo tandem militant sanguinis profusiones plus minus enormes per nares, uterum, haemorrhoides, aliaque plura insueta etiam loca, v. g. gingivas, labia, oculos, aures, imo per universum corporis habitum, factae, post iram gaudium, terrorem, timoremque, de quibus tot prostant exempla apud Practicos, ut nimius essem, si loca ac nomina eorum darem.

Num vero humorum quantitas deficiens pathematum & commotionum ope restituatur, paradoxum videri posset intuitu primo, nihilominus, quemadmodum nemo dubitat, humorum laudabilium depopulationem fieri per Amorem, Stupium nimium, & imprimis per Curas, Sollicitudinem, atque Moerorem, sit ut Curae *Ovidio* depopulatores artuum iure audiant, & alius Poeta de Studio nimio canat.

Si pallere cupis, & contabescere morbo,
Et vulgo fieri fabula longa stude.

ita ex opposito, animum tranquillum & a curis omnibus liberum augere laudabiles humores, & plethoram frequentissime generare, imo & nimiae obesitati ansam praebere, adeo certum est, quam certissimum. Quid enim quaeso frequentius observamus, quam iuncei habitus iuvenes utriusque

que ſexus, ſuavi maritali vinculo ligatos, dum ſc. ex voto ipſis cedunt res familiares, brevi pingueſcere, & ſaepe monſtroſe obeſos fieri intra breve tempus?

His abſolutis circa vim medicam animi commotionum in cura humorum, pergo ad demonſtrationem efficaciae earundem in ſolidis partibus. Vti vero variae iſtae ſunt, ſi texturam & conformationem ſpectes; ita etiam effectus diverſus pathematum eſt in illis. In oſſa & cartilagines vix, imo ne vix quidem, immediate agere obſervantur, e contra vero in nervos & nervoſas partes, poſtmodum in fibras motrices ac membranas adeo evidens eſt haec illarum poteſtas, ut obſervationum Centuriae, ſi neceſſum foret, negotio haud difficili produci poſſent.

Imprimis tamen ex his animadverſione digna eſt vis reſerandi obſtructiones. Supra iam curam Podagrae ac Paraliſaeos per excandeſcentiam, huiuſque generis alia adduxi exempla, pro demonſtranda efficacia, quae commotionibus animi ineſt, dum reſtituit humores vel deficientes in motu, vel peccantes qualitate, quae cuncta pro confirmanda hac ſententia ſimul militant. Clarius tamen adhuc a priori eam probant carnearum, membranoſarum, nervearum, & ex his compoſitarum partium, ab animi pathematibus & commotionibus factae inflationes, iuxta ac inde oriundae conſtrictiones plus minus notabiles, harum enim ope excutiuntur & protruduntur non ſolum infarcti peccantes humores, verum ſi forſan, ſtylo Antiquorum, intemperies ſine materia

in

in tubulis occurrat, ſive ut clarius loquar, ſi tantum exſiccatae aut criſpatae vel ſpaſmo correptae deprehendantur, non minus illa quoque vitia expanſione vitalis elateris per animi commotiones tolluntur feliciter.

Effectus hic manifeſtiſſimus fit in cura alvinae ſuppreſſionis per metum; exemplum tale habeo a Viro quodam fide digno, qui novit Virginem Nobilem, quae toties ac imminet aeris tempeſtas, Diarrhoea vexatur, adeo, ut hac de cauſa templa frequentare aeſtivo tempore non audeat, ne turpiter ſe dare cogatur, ſi forſan ex improviſo coelum fulguret aut tonet. Simile quid alii annotarunt in viris robuſtis, & militibus intuitu primo fortiſſimis, nam cum eſſet pugnandum cum hoſtibus, ſtatim a ſigno praelii dato, alvus ſolvebatur timidis his, ſic ut braccas replerent ſordido onere, non ſine riſu ac ſibilo commilitonum. Quod ipſum in foemina quadam illuſtri ſe pariter annotaſſe refert *Ridlin. in Lin Med. A. 3. Menſ. Apr. lin.* 6. *p.* 119 quae, ſtypticitate alvina ſolenni laborans, toties, ac terror vehemens ſibi animum percuteret, ab importuna illa ſarcina liberabatur, conf. inſuper *Eph. Germ. D.* 1. *A* 9. *&* 10 *pag.* 244.

In aliis Ira ex eodem plane fundamento ſolvit alvum; Exemplum nobis referunt Naturae Conſulti de muſtela ſylveſtri ſeu Viverra, quae provocata ad iram feces alvinas, foetore inſigni imbutas, reiicere in perſecutores dicitur, ſeſeque eo ipſo ab illorum inſultu liberat. Quale quid de alio quoque animali Americano, cuius nomen exci-

excidit, me legiſſe recordor . Stabilitur inſuper aſſertum obſervatione *Paullini* 92. quae legitur in *App. ad Eph. Germ. D. 2. A. 5 p.* 57. de Ludi moderatore, qui quamprimum diſcipuli vel domeſtici peccarent erga eum, aut acerbitatem aliquam illi afferrent, ſubito excrementa alvi egerebant .

Simile quid etiam a riſu notamus produci; teſtes prodeant *Eph. Germ. D. 2. A. 3. o. 12. p.* 20 ſiſtentes foeminam, quae nunquam alvum exonerare valebat , niſi profuſe in cahinnum excitata , hinc familiares vel ioco aut alia re delectabili, liberaturi miſellam a ſcybalis, affectum hunc promovere ſemper cogebantur . Sine dubio vero non ſolum diaphragmatis motui impetuoſiori ad inferiora in acceptis eſt ferenda haec operatio, utpote quo inteſtinis ſtimulus additur & calcar , ut ocyſſime egerant concluſas faeces; ſed ſimul etiam in ipſis ſpiritibus exultantibus culpa haeret, quare ſolenniter videmus , animum ſerenum & laetum purgantia remedia egregie promovere, & e contra triſtem , remorari , ſaepeque penitus cohibere ea *vid. Pechlin. obſ. p.* 464.

Ab inteſtinis venio ad ſtomachum , cuius motrices fibras Spiritum impetu ad inverſum periſtalticum motum diſponi vomitumque eo ipſo naſci, palam eſt . Quis neſcit, nauſeam ſtomachique everſionem ex adſpectu alterius vomentis , vel narratione rei ſordidae excitatam, aut ſi alimenta non rite cocta vel aromatiſata , aut minus uſitata , vel penitus ſordida exhibita fuerint, aut ſaltim, ac ſi propinata eſſent talia , falſo

no-

nobis perſuadeantur, ſaepe tantum ac tam gravem gigni Vomitum, ut vix remediis compeſci impetus iſte valeat? Nec latere poteſt ſimilem frequenter ſtomacho imprimi impetum, ab ira & vehementi excandeſcentia, alioque tempore a Muſica, de quibus effectibus merentur legi *Ridlin. Lin. Med. A.* 4. *p.* 912. *Eph. Germ. D.* 3. *A.* 3. *o.* 182. *p.* 317.

Subiungo his veſicam urinariam, cuius ſphincter in quibusdam ſubiectis ſolenniter riſu exceſſivo laxatur, ob nimium conſtrictas fibras eius motrices carneas, tunicam mediam efformantes, qualem hiſtoriam in Collegio Caſuali privato *Experientiſſimus Dom. Dom. Langius*, Praeceptor meus fideliſſimus, recenſuit, de quadam puella, cui involuntarie a riſu ſemper fluebat lotium, niſi faſciis ventri arcte circumiectis munita incederet, utpote quo unico medio hucuſque admodum rebelle malum ſufflaminari potuit, dubio ſine ob cohibitum muſculorum abdominis enormem motum, quo urinaria veſica alias comprimebatur. Concordat cum hoc exemplo illud, quod in *Act. Haff. Vol.* 3. *p.* 13. legitur de virgine, quae non mingebat, niſi ab ancilla ſimul mingente admonita, vel facetiis & iocis ad affatim ridendum invitata. In fidem maiorem adiungo hiſtoriam in *Eph. Germ. D.* 2. *A.* 9. *o.* 61. adductam de Comite quodam, quem pertinax Dyſuria per aliquot dies lecto affixum tenuerat, donec terrore vehementi incuſſo, ex incendiariae campanae ſono percepto, viſaque ſimul in proxima vicinia ingenti flamma, curatus ab illa fuerit,

rit . Si lubet , adde etiam illum casum in modo citatis *Eph. Germ. D. 3. A. 7. o.* 180. annotatum , de matrona & ex illa natis aliquot filiabus ; quae omnes vesicam levare nunquam poterant , nisi audito stillicidio aquae ex gutturnio in suppositam pelvim delabentis . Ex quo ni fallor fundamento Ischuriam eam octiduanam quoque solutam puto , de qua videantur *Eph Germ. D. III. a. I. o.* 131. *pag.* 226. Cum enim illa nulla attenderet remedia , lege artis praescripta , tandem sanata est a Gryllis campestribus vivis , sub genubus aegri ligatis , ita , ut libere progredi , parteſque has sensatas titillare potuerint .

Sequuntur iam phaenomaena in utero occurrentia . Non referam in praesenti mensium fluxum nunc excitatum per animi affectus , ne crambe biscocta appositа nauseam moveat ; Non possum tamen praeterire Vim Medicam in partu facilitando maxime conspicuam . Certe , quemadmodum timor & metus , indeque nata pusillanimitas , dum sc. puerpera DEo viribusque suis plane diffidens deprehenditur , non aliam nisi infelicem καταςροφὴν promittit : ita e contrario eius animus erectus , hilaris , Deoque fidens , faustum exitum pene solenniter pollicetur . Parant vero illum solae adhortationes , aut oscula tremebunda a marito inflicta , saepe felicius , quam confortantium ac Analepticorum apparatus omnis ; Quod si nichilominus istis solis pectora haec meticulosa mulceri non valeant , aliis mediis id subinde obtinemus , quae tamen nullis innatis operantur viribus , sed saltim quod fiduciam augent , dum

sc.

ſc. effectus infallibiles loquaces mulieres, aut ſimilis farinae medici de illis praedicant. Refero huc Aetitem, aut oculum leporis menſe martio capti, vel fruſtum cutis Tygridis, pedibus illarum alligata, aut ſi alio tempore puerperae fructus momordicae, donec ſponte dehiſcat, manu detinendus datur, vel hauſtus vini cui prius aliquandiu Hierochuntica roſa immerſa fuit: Prae omnibus tamen animi commotionibus laudem meretur riſus in hoc caſu, quippe, cuius quaſſationibus partus conatus novi provocantur, matrem uterumque onere ſuo vel ſoli liberaturi *v. Pechlin Obſ. Med. Phiſ. C. 3. o. 28.*

Non igitur mirum, ſi aliquando interni abſceſſus, cuncta remedia fere eludentes, his etiam auſcultent animi commotionibus, & inde excitatis concuſſionibus, Circumfertur hiſtoria de Patre quodam purpurato Romano, ex pulmonum Vomica, mortis candidatorum albo a cunctis domeſticis inſcripto qui tamen ex ſimiae praeſentis tidiculis geſtibus in riſum ſeſe effundens, rupit. Non minus probationis loco inſervit obſervatio rupti abſceſſus cerebri excitato in aegro inſperata occaſione riſu, quae legi poteſt *ap. Binninger l. 3. o. 47 p.* 307. Et omnium maxime caſus Studioſi cuiusdam vulnerati inter tertiam & quartam coſtam, qui ex ſanguine intra thoracem effuſo, nulliſque remediis auſcultante, certo certius periiſſet, niſi in riſum caſu quodam ſolutus, concuſſione iſta organorum reſpiratoriorum eieciſſet hoſpitem hunc importunum, eaque pulmonibus ſpatium ſe-

ſe explicandi denuo dediſſet neceſſarium *vide ſis Pechlinum*.

Sed miſſis his, pergo nunc ad Curam morborum, quae fit per partium ſolidarum extenſionem, inflationem ac turgeſcentiam. Poſſem, ſi vellem, facili negotio ſatis prolixum catalogum recenſere, ſed ſatis erit adduxiſſe, a dolore excitato per verbera, vel ipſis genitalibus, inflicta, impotentiam virilem curatam eſſe in pluribus ſubiectis, quod argumentum prolixe & pro more egregie dilucidatum dedit *Meibomius in Ep. de Vſu virgarum in re venerea*, cui adde Reſponſionem *Bartholin* de hac materia editam ad filii Meibomii Epiſtolam, it. ſcriptum *Paullini de Cura morborum per verbera*, in quo copioſiſſima reperiuntur exempla, quae ſufficienter fidem facere dictis poſſunt. Adiungo his exemplis illam reſtitutionem ſubitaneam crurum, per aliquot annos contractura laborantium, cuius mentionem iniicit *Valeriola l. 2. obſ. p. 82.* Vir namque aliquis nobilis ira, eaque vehementi, perfuſus in famulum profugum, quem plagis caedere nitebatur, corpus tam potenter exagitavit, ut confeſtim diſtentis crurum nervis, poplitibuſque emollitis, ſine triſti ſenſu incedere, & erectus ſtare fuerit viſus. Et quid obſtat, quin hoc in loco etiam apponam hiſtoriam, quam *Herodotus* de Croeſi filio narrat, illum nempe, nativo linguae ac vocis proferendae impedimento affectum, cum Perſidem quendam (alii referunt Cyrum Regem) in Croeſum Patrem irruere velle videret, ira ac metu percitum, vocalem evaſiſſe, altaque vo-

ce clamaſſe: Homo, ne Regem interimas, vel ut *Valerius Maximus* refert: Parce Parenti meo, Cyre, & te hominem eſſe caſibus noſtris diſce.

Clauderem nunc ſectionem hanc, niſi mihi adhuc incideret notabilis vis animi pathematum in partibus ſolidis, ſuis de ſedibus turbatis, reſtituendis. Poſſem ipſe allegare virum, cuius os humeri luxatum, quod Chirurgus indoctus reponere, per trium ſeptimanarum ſpatium, non poterat, ſuperveniente terrore ſubitaneo ex tempore ſedibus ſuis magno cum aegrotantis ſubſequente gaudio, reddebatur. Nec praetereundum Herniam ad Scrotum delapſam terrore intus ſuſcipi, quam obſervationem ex communicatione Viri cuiusdam Conſultiſſimi habeo; qui olim graviter deſcenſu tali inteſtinorum decumbens, per hoc animi pathema reſtitutum ſe perfecte eſſe, gaudet adhucdum. Et uteri procidentiam ſanari ſic poſſe, dudum docuerunt *Avenzoar & Alcacaris*, Medici Arabes, e quibus illud repetit *Zac. Luſitan. l.* 2. *o.* 95; iubent vero hi, ut capite declivi collocetur aegra, & inſciae ad denudata crura lacertae vivae ac mures alligentur, qui per femora vagantes, terrorem vel metum incutient, cum repentina uteri reductione. Quod experimentum revocat mihi in animum, illud vulgi, dum ani prolapſum in infantibus reſtituunt, percuſſione clunium cum manus vola.

Devenio iam ad vim medicam animi commotionum demonſtrandam, quae in ſpiritibus morboſis ſe manifeſtat. Primo igitur excitant ſpiritus torpidos, hinc ſupra iam monui de ira, in

ſenibus illam, ſi modo non adeo frequens aut enormis fuerit, remedii loco eſſe pro reſolvendis humoribus nimium ſpiſſis; addo nunc, pro ſpiritibus ex naturali decremento torpidis, rurſus quodammodo exſuſcitandis, affectum hunc eſſe egregium. Idem hoc a Gaudio expectandum, utpote quod moderatum, novam quaſi vitalitatem reddit, ac aetatem floridam facit. Nec terrori ac dolori vis haec deneganda eſt, nihilque refert, per quodcunque ſenſorium externum terrificum illud aut dolorem inferens obiectum communicetur.

Auditus ſpecimen exibet *Blegny in Zodiac. Gall. P. 4. p. 34. ſeqq. in Edit. Germanica* recenſens de quodam belli duce qui nunquam admittere poterat Venae Sectionem, quin ſemper incideret in Syncopen graviſſimam, quam tamen avertere poſthac didicit, tympanorum bellicorum ſtrepitu iſto tempore pulſatorum: Conſtat etiam hoc ex hiſtoria, relata ab *Hunerwolfio in Eph. Germ. E. 2. A 7. o. 17.* de quadam matrona, quae parere nunquam poterat, niſi excitato campanarum ſonitu, quo mirifice ſemper delectabatur; His addi poteſt Conſilium *Villanovani Breviar. l. 4. c. 11.* qui pro diſcutiendo Veterno iubet, ut ſuſpendatur pedibus poſticis ad poſtes lecti, prope caput aegrotantis, Sus, & ſtimulis poſthac irritetur, horrenda enim animalis huius vociferatione omnem torporem ſubito excuti poſſe teſtatur ſanctiſſime.

Viſus exempla referunt *Nic. Tolpius l. 1. o. 41. & Diemerbrock. Obſ. Curat. 10. p. m. 9.* a ful-

mi-

minis nempe horrendo lumine, intempesta nocte coelitus demisso, ita esse exsuscitatam in binis subiectis vim elateris vitalis, inertem antehac & penitus imbecillem, ut, licet in priori casu per tres, & in altero per 40. integros annos, nunquam par fuerat, fibris motricibus robur addere ad loquelam, & motum corporis necessarium, tamen isto momento tam valentem esse factam, ut utramque functionem ornare pro lubitu potuerint, antehac miserrimi homines.

Quoad Olfactum, provoco ad Odoramenta, imprimis volatilia ex improviso naribus admota, quibus insigniter perteriti spiritus exsuscitantur; sunt talia Sal. vol. urin. C. C. Sp. Sal. Ammon. recens cum Calc viv. aut cin clav. factus, vel miasmata ex pennis perdicum, vel anserum, vel corio, pice, sulphure, Verrucis ac Vngulis equorum, raspatura Cornu hirci, similibusque pluribus supra carbones candentes positis, emissa, utpote quibus praeconium ac laus prae cunctis aliis excitantibus merito competit, cum aegris, omni sensu ac motu in Syncope, Apoplexia, Hysterica suffocatione, similibusque atrocissimis affectibus correptis, tam prompte & celeriter succurrant, ut omni pene motu carentibus spiritibus nova activitas accedat in isto statim momento, ac olfactus organon vellicare ex improviso incipiunt.

De Gustu testantur Aquae Apoplecticae, aut quaevis alia acria linguae imposita, uti sunt Sal. comm., Piper, Cinnam. acutum & alia mordacitate praedita, quae ori intrudere pro fugandis

animi deliquiis praesentibus, avertendis imminentibus, & tonsores non solum sed quaevis aniculae norunt. Imo si huc quoque vocavero ipsa medicamenta, non me a veritatis scopo aberraturum confido. Frequenter siquidem in huiusmodi subiectis, quae aversantur ea, uti sunt pene solenniter stolidi infantes, delicatulae mulieres, imo quandoque etiam effoeminati viri, statim ac gustus organum ab illis vellicatur, tumultum in spiritibus, summa segnitie prius laborantibus, eo ipso excitari, varioque irregulares motus in iis produci cernimus.

Et sic nec circa Tactum deficiunt exempla. Quid notius est, quam deliquia animi terrore abigi? Iam *Homeri* tempore in usu fuit adsperso aquae frigidae, & ea adhuc hodie inter extemporanea remedia primas tenet: cui non male substituitur concussio corporis. In difficili partu puerperae pusillanimis aut immorigerae culpa exorto iubet vulgus, ut adstantium unus Colaphum infligat misellae, quod rusticum licet planeque barbarum remedii genus, tamen aliquando profuisse memini. Syncopizantibus & Histericis iubent evellere crines e locis sensatis, cum spe certissimae exsuscitationis. Comprobat hoc consilium *Henric. ab Heer. in obs. Med. oppidoraris* o. 19. *p.* 238. experimento ebrii, pro Apoplectico male per quatriduum habiti, quem evulsione pilorum mystacis coëgit Medicus, ut clamore & vibratione artuum, adhuc vivum se esse, adstantibus ac familiaribus, declararet.

Praeter haec, si imprimis spirituum torpor

ab

ab inebriativis dependeat, dolor terrorque narcosin dissipare quandoque deprehenditur; Exempla tria ponit *Reiselius in Eph. Germ D.* 1. *A.* 2. primum de cive Ottenvillano, qui ebrius fimetum ad genua illapsus, cum pro abstergendis sordibus descendisset in aquam frigidam, sublatam eo ipso temulentiam sensit. Alterum de ebrio in fluvium incaute delapso, periculo vitae non minus, quam frigore ex improviso circumambiente corpus, restituto: Et tertium de iuvene, cuius vulnus leve, per iocum inflictum, sanguinem fundebat copiosum, unde temulentus hic, metuens sibi de vitae periculo, sobrius plane est factus. Additur his merito cura temulentiae, per Aquae frigidae vel succi semper viv. mai. cum aceto & nitro mixti, ad mammas in foeminis, & ad testes in viris applicationem, cuius curae exemplum profert *Henr. ad Heer. lib. & loc. iam cit.*; ut taceam testimonia alia passim a Practicis prolata.

Iam sequitur inquietudinis & motus irregularis spirituum Cura, quam nemo facile in dubium vocabit, considerans cum *Pechlino c.* 3. o 26. gaudium in puerperis novellis tota die parere oblivionem dolorum omnium partum praecedentium, id quod in illis quoque notari potest, quibus calculus vesicae a Lithotomo exsectus est. Quae Musicae sit efficacia, infantes docent, quibus somnus cantilenis nutricum provocatur ordinarie, imo & adulti idem comprobant, quorum maxime ferocientes spiritus vix citius demulcentur, quam fidium vel aliorum instrumentroum musicorum eu-

tenia ; hinc quoties Saulum Regem vexabat rabies, toties citharoedus David ſpiritus iſtos inſanientes & errantes blandimentis ſoni reducere poterat. In aliis ſubiectis, metus inquietudines has compeſcit. Elegans exemplum proponit *Ridlin. Lin. Med A* 1. *p.* 283 de ebrio furente, metu ſanato. Evidentiora adhuc ſunt teſtimonia inſingultus medela per terrorem, metum, gaudium, promiſſionem doni &c. de qua *conf. Galen. lib. de Medic. facile parab. c.* 31. *Valeriol. obſ. p* 162. *Ridlin. Lin. med. A* 2. *p.* 276. *& Eph. Germ. D* 2. *A* 9. *p* 174. *it. D.* 3. *A.* 1. *o.* 44 *p.* 61 Experiuntur quoque hunc effectum Epileptici inſultus univerſales, terrori ſcilicet ſe ſubmittentes, qualia facta narrant *Eph. Germ. D* 2. *A.* 9. *p.* 353. 379. *Barthol. C.* 3. *o.* 41. *pag* 83. *Binninger. o.* 29.

Ex hoc fundamento intermittentium Febrium medela per animi pathemata non male deducitur. Nam cum ex plurium Medicorum opinione harum Febrium formalitas conſiſtat in motu irregulari ſpirituum, liquet ſtatim a priori, hac methodo compeſci illum ex voto poſſe. Sed magis adhuc copia exemplorum infinita favet theoriae huic, e quibus tamen ſequentia ſolum apponam : Refert ſc. Illuſtriſs. *Boyleus de utilit. Phil. Experim. Exer.* 5 *p.* 282. Quartanam pertinaciſſimam per terrorem, ex gliris praegrandis furioſo inſultu, eſſe curatam. Idem commemorat *Eph. Erud. D.* 1. *A.* 2. *o.* 150. *D.* 2. *A.* 3. *o.* 93. nempe occaſionem curae dediſſe bombardae improviſam exploſionem, & *D.* 1. *A.* 3. *o.* 150. & 211. habetur ; ex immerſione in aquam perterritos tertianarios eſſe ſanatos. Plura profert

Am-

Ambrosius Paraeus l. 1 *c.* 23. *Rolfinch. Ord. & meth. med. special cim p.* 1024. *Blegny Zodiac: Gall. Mens. Ian. Plechlin. Obs. Phys med. l.* 3. *o.* 24. *p.* 453.

Interdum ira fungitur medici vice, uti testimonio fulcit *Valeriola. l.* 2. *o.* 4. *p. m.* 82. his verbis: Quartana laborantem in vehementem iram, meo consilio a suis coniectam, extemplo curatum vidimus, cum nullis antea medicamentis cessisset morbus. Quo exoptato eventu a *Borrichio in Act. Haffn & postm. a Greulichio* imitatum est, & confirmatur a *Schenckio l* 6. *o.* 53. *T.* 2. Nec gaudio talis potestas deficit; Conringium enim aliquando Tertiana decumbentem, gaudio, ex colloquio cum Meibomio, concitato, restitutum esse scribit *Pechinus obs. p.* 466. quo in loco idem refert, in alio Tertianario nuntium laetum Febrem cum lctero feliciter sustuliss̃e. Nec alii affectus virtute ista destituuntur, hinc imminens naufragium aliquando, alioque tempore dolor a flagellis, & alapa inflicta excitatus, & rursum titillatio ex congressu frequenti celebrato, febres debellasse referatur, qua ultimum nominata iucunditate peste laborantem foeminam aliquando restitutam esse referunt Doctores *Pechlin. obs p.* 449. *Meibom. de usu flagrorum in re Ven., Eph. Germ. D.* 3. *A.* 2. *o.* 202. *D.* 2. *A.* 10. *p.* 221. *D.* 1. *A.* 10. *o.* 155. *p.* 341. *& A.* 2. *o.* 188 *p* 286. quibus adde, quae *Dom. Dom. Georgius Hoyer* refert de aliquot aegris ex febre ardente graviter delirantibus, ac in furore isto in mare se praecipitantibus, qui derepente ex undis in naves retracti, evaserunt omnes, *vid. Eph. Germ. D. III. a. III.* o. 48. *p.* 55.

Minime culpandus ero, ſi ſtupendam fiduciae & imaginationis efficaciam hic quoque adduxero, ſeu ea ſit de Medico, ſeu medicamento, ſeu alimento concepta, ſemper enim ad amiſſae ſanitatis reſtitutionem ſola haec tantum contribuit, quantum omnia reliqua inſtrumenta ad ſalutem inducendam neceſſaria. Certe, niſi Perſona Medici placeat, aut ſaltim non offendat, vix unquam medicina ſperatum conſequi poteſt eventum. Haec enim eſt, quae aegrorumanimum erigit, remediorumque vires multiplicat ad ſtuporem, ut recte hinc imperent Doctores, tyrones ad Praxin introducentes, ne ullam ſicitam praetermittant, occaſionem, acquirendi in aegris affectum hunc, & acquiſitum conſervandi, exinde namque Medicorum miſeriam & felicitatem pene ſolenniter dependere. Plures enim ſanat, cui plures fidunt aegri, iuxta proverbium. Hinc

Si miſer eſt Medicus, medicamina bina venenant,
Si fortunatus, bina venena iuvant.

Non minor eſt vis imaginationis & fiduciae in medicamentum, quod, ne ſine exemplis adſim ſtabiliunt *Paullini in Ephemer. Germ. D.* 1. *A.* 2. *o.* 238. *& Ridlin. Lin. Med. A.* 1. *Menſ. Iul. lin.* 12. referentes, cuidam aegroto, qui ſaepius, quam opus erat, medicamenta poſcebat, a Medico tres e pane ſimilagineo formatas pilulas pro magno arcano eſſe exhibitas, unde maximum levamen experiebatur. Et quid multa? Nonne pene ſolenniter apud laudabilis fortunae, nimiumque ſimul credu-

los,

los, aegros animadvertimus, si Medicaster aut excellens aliquis Thraso infallibilem curam polliceatur, & medicamenta singularia, h. e. Panaceas universales & Polychrestas, Astra & tincturas Solis, Q. E. Gemmar. & Margaritar. aut ipsam mortem mortis crepet, illos citius ab his sanari, quam ab aliis eruditissimis viris, qui impostoras has abhorrent. Simpliciores vero qui sunt ex aegrotantibus, fiducia simpliciori etiam sanantur. Hinc rustici inquit *Bartholinus hist. de Paraly: N. T. pagin. m.* 42. non raro schedulis devoratis curantur, quod propriis observationibus probant *Solenander S.* 5. *Consil.* 15. §. 17, *Iob. Helwig. obs. med.* 86. *Schroeckius in adiecto scholio*, *Deusingius in Exam. Pulv. Sympathet. pagin.* 65.

Inter externa fiduciae & imaginationis subsidia merito Amuleta refero, de quibus integros tractatus ediderunt *Iulius Reicherius & Iac. Wolfius*: Equidem de omnibus Periaptis id non dixerim, qaedam enim viribus insitis utique agunt, qualia sunt v. g. Castoreum, Asa foetida Galbanum, & similia de collo, pro avertenda passione hysterica gestata; ast plura longe sunt, quorum virtus unice a phantasiae efficacia dependet. Myriades exemplorum facile adiungerem asserto huic, nisi res ipsa pro me loqueretur: Provoco saltim ad trochiscos illos bufoninos s. Zenexton *Helmontii*, quis enim sibi imaginari potest, pestiferum virtus eludi posse a cerae frusto, recrementis bufonis imbuto? Nec aliter iudico de Malachite, Asterite, aliisque lapidibus & gem-

mis

mis geſtatis, quorum vires oppido ſingulares plenis buccis decantant *Marbodaeus Gallus*, *Albertus Magnus*, *Levinus Lemnius*, & ex Recentioribus *Anshelmus Boetius a Boodt*, docentes, nunc homines imperterritos, fortunatos, amicabiles, & neſcio quales non reddi, ſi auro incluſae gemmae iſtae de digito vel appenſae ſaltim gerantur. Taceam ſchedulas variis characteribus ſignatas, colloque pro cura febrium aliorumque morborum alligaras, utpote quae adeo clare docent veritatem effati, ut dubitari ulterius nequeat, unice affectum illorum eſſe phantaſiae opus.

Et haec phantaſiae ſ. fiduciae operatio tandem ſe quoque exerit in deſiderio cibi ac potus; docet ſane frequentiſſima experientia, cibum, quem aegri avide appetunt vix nocere, ſed ſaepe medicamenti vim acquirere, utut ſecundum regulas Medicinae illi morbo noxius & contrarius vere ſit. Sic multi aquam crudam ingurgitando, haleces ad ſatietatem commedendo, ſpiritum vini ingerendo &c. a Diarrhoeis, Colicis, febribus, debilitate ſtomachi, aliiſque morbis ſe liberarunt; Exempla proſtant *in Eph. Germ. D 2. A. 5. p. 16. in App. A 9 o 53 p. 84 A 10. o. 192. p 370. D 3. A. 1. o. 66 conf. etiam Helwig. o. 155. p. 410. Ridlin. Lin. Med. A 3 p. 378*

Non aliter ſuccurritur aliis imaginationibus ſtolidis, aegrorum ſpiritibus firmiſſime impreſſis, puta in deliriis, ſimilibuſque dementis ideae, ut ſtylo Helmontiano utar, morbis: modo enim ſatisfiat horum deſideriis, incantamenti ad inſtar curatos illos obſervamus. Refert *Thomas a Veiga*

in

in ſuis Comment. in Art. Med. Galeni. quendam ex febre ardente delirantem enixe poſtulaſſe, ſibi concedi in ſtagno illo, quod pavimentum credebat, vel momentaneam ſaltim immerſionem & natatum, aiebat enim, ſe certo ſcire, ex illa refrigeratione corporis reconvaleſcentiam ipſi eſſe expectandam, quod evenit quoque, cum, conſentiente poſt longas preces Medico, aliquantiſper ſe volutaſſet ſupra ſolum hypocauſti. Hoc ſuum ius deſiderium quoque exeruiſſe in Quartanam, teſtatur *Iaegerſchmid. Eph. Germ. D.* 3. *A.* 3. o 100. inceſſerat namque tali morbo laborantem iuvenem cupido ſaltandi, quare ad nuptias illic loci forte fortuna celebratas properans, animum cupidine hac repletam exſatiat, & ab iſto tempore nullum ulterius ſenſit paroxyſmum. In furore uterino cuncta remedia alia ſuperat coitus permiſſus; Mulierem producit *Panaroll. Pentec.* 3. o. 9. ſemper extra tempus ingravidationis libidinoſiſſimam, & quaevis fomenta laſciviae impudiciſſima quaerentem, donec utero gerebat, per illud enim tempus exemplar pudoris & prudentiae erat. Alius foeminae mentionem iniicit *Schenkius*, quae oeſtro venereo percita, omnibus pudicitiae ruptis repagulis, quoſvis ad concubitum invitabat, donec quadam nocte a quindecim viris compreſſa perfecte reſtituta ad auroram, domum redierit: quale exemplum etiam *Bartholinus Cent.* 2. *hiſt.* 67. recitat: Alia ut taceam, de aliis phantaſticis ideis hoc modo expulſis, teſtimonia.

Quod ſi vero aegrorum deſideriis ſatisfieri nequeat, nec voti compotes reddi valeant illi, aſtu, do-

dolis & ſtratagematibus decepti non minus ſanantur. Exempla plura felicisſimi ſucceſſus habet *Schenk. l.* 1. *o.* 253 ſc. foeminam quandam putaſſe, ventriculo inhaerere ſerpentem, & rodere illum, cui Vomitorio prius exhibito clam talis enecta beſtia matulae imponebatur, unde perſuaſa, eam expulſam medicamenti ope, convaluit. Vir quidam naſum ſe credebat habere urnae magnitudinis, a qua imaginatione liberatus eſt aſtu Chirurgi, qui, accomodato illius naſo hepate bubulo magna fruſta reſcindebat, cum Euphoria aegri *vid. Quercet. Diaet. & Polybiſtor p. m.* 255. Alius cornua ſe geſtare credens, ſenſit levamen, poſtquam capiti alligata Cervi cornua ferra ſecarentur. Pictor imaginaria laborans oſſium mollitie, teſte *Tulpio obſ. l.* 1. *c.* 18. amiſit hanc inſaniam, & iuxſta eundem *l.* 4 *c* 53. aliis, qui caecos ſe credebant, viſus eſt reſtitutus, ſolis ſtratagematibus Medicis.

Sed nimium moroſos aegros duriora adhuc decent remedia, ſc. vi excutiendae ſunt phantaſticae impreſſiones, per alias paſſiones ingratas, ſaepiusque prioribus exaſſe contrarias. Notiſſimum eſt hominibus, ex rabioſi canis morſu Hydrophobia laborantibus, metum & abominationem aquae, plane ineffabilem ineſſe, adeo, ut nullo modo eius attactum vel conſpectum ferant, quin ſemper contremiſcant cum eiulatu ac murmure, ad eam, imo ad quodcunque fluidum, hinc nec ſudorem ferunt, multo minus potum aſſumere poſſunt: hanc igitur ideam non deſerunt unquam miſeri hi, niſi cum ſumma violen-

tia

tia ipsis eximatur illa, quod fit terrore & metu, incusso ex submersione in aquam adeo formidatam, ut nempe nolentes sic discant, stultam istam imaginationem & formidinem aquae fuisse *conf Helmont. tr. demens idea*, *Lister. tr. de morbis Chron. p.* 105. *sq.*

In aliis, Maniacis puta, Melancholicis, ex amore aliisque causis insanientibus, si nihil amplius profit, ad scuticam, virgas, ferulas, aliumque similem crudelem apparatum confugiendum est, quorum validis ictibus adiguntur, ut suam ferociam vel inviti deponant, & veniam suae insaniae petere discant. Perantiqua non solum methodus haec medendi, sed innumeris experimentis confirmata est, uti testantur *Caelius Aurelianus l.* 1. *Tardarum passion. C.* 5 *Rhases l.* 1. *Contin. c.* 3. *Anton. Guainerius Pract. Tr.* 15. *c.* 8. *Valescus de Taranta Philon. l.* 1. *c.* 11. *Bodinus l.* 5 *de Rep.* & ex modernis *Pechlin. C.* 3. *o.* 22. qui binos tales plagosos nominat Medicos, in insanorum curatione perquam celebres, quorum tanta autoritas erat apud insanos, Curae suae concreditos, ut non solum praesente ipso ne hiscere quidem ausi fuerint, sed etiam absente illo, modo nomen Magistri insonuerit, statim potuerint compesci.

IOH. SEBALD. HOLL

HARTMANSD. MISN.

DISSERTATIO

DE REQVISITIS BONAE NVTRICIS

PRAESIDE

GEORGIO ERNESTO STAHL.

GEORGII ERNESTI STAHL

PHILOSOPHIA

ANATOMICA

DE MOTU SANGUINIS

ET

CHYLIFICATIONE

ADVERSUS

IOH. GERARD. HOFFM.

DISSERTATIO VI.

De Requisitis bonae Nvtricis.

NVtricis vocem loco Nutritricis usurpanti requisitum est, quod ad aliquid desideratur, vel pertinet. Ista vero, quae ad aliquid pertinent, pertinent vel ad esse eius, vel ad bene esse; priora faciunt ad rei naturam, posteriora ad rem istam condecorandam & exornandam. Dum itaque in animo est, Requisita Nutricis Bonae in subsequentibus tradere, dicendum mihi veniet ante omnia de iis conditionibus, quae ad ipsius Lactationis essentiam, adeoque absolute, desiderantur, reliqua enim, quae ad operis hoc rite & commode exornandum faciunt, in praesentiarum vel plane non vel obiter saltem, & quasi in parenthesi, attingam.

Inter ea, igitur quae absolute ad lactationem requiruntur, sunt, ut nutrix organis lactis elaborationi & suctioni aptis, sit debite instructa; materiamque necessariam possideat, pro lactis elaboratione. Veniant propterea omnium primo ad examen bina illa globosa, alba & mollia corpora, utrique pectorali musculo imposita, intus ex glandulis conglomeratis, molli pinguedine

cinctis, tubulis lactigeris exstructa, ac papillis in illorum acuminata parte exornata, quae uno verbo Mammae vocantur, utpote in quibus, tanquam in laboratoriis elegantissimis a natura praeparatur lac. Bina sunt haec corpora solenniter, sufficiuntque omnino pro tanta copia humoris huius secernenda, ut infans sufficienter, imo & gemelli, si urgeat necessitas, ipso nutriri possint.

Tantum autem abest, semper utramque mammam nutrices aptam experiantur fundendo lacti genuino, quin annotatum sit a Lyser. in obs. 17. Cultro anatom annexis: Infantem ex dextra mamma sugentem lac, semper pessime se habuisse, secus si sinistram sollicitaret. Nec unica haec est nostro favens asserto observatio, simile enim quid frequenter in illis Nutricibus observare licet, quae prima vice mammas sugendas tradunt infantibus, ante sc. quam ostia papillarum, tubulique lactiferi, debite per suctionem ampliantur. Imo frequentius adhuc hoc ipsum annotatur, si forsan una ex mammis, vel nuper, vel olim, suppurationem admisit. Glandulae enim secretoriae, iuxta ac tubuli lac vehentes, consolidatione inepta angustati vel penitus obstructi, liberum transitum non concedunt fluido huic unde a mora diuturniore, quam trahere in his locis cogitur, facile posthac contaminatur istud. Quapropter hae Nutrices atro carbone merito notantur, utpote quae penuria laborant commodi ab ipsi desiderati.

Sed peiores longe sunt, quae penitus isto carent, h. e. quarum mammae nunquam turgesce-

re

re lacte obſervantur, qualia ſubiecta non ſparſim ſolum hinc & inde reperiuntur, ſed dantur integrae civitates imo regiones cauſario tali defectu laborantes. Nam dum nobiles matronae, ſervientes voluptariae vitae, fugiunt incommoda, quae talis infantum alitura adfert, areſcunt tandem, & exſiccantur penitus organa lactationi deſtinata. Et cum ſimiarum adinſtar cives quoque & privatae mulieres, nobilium mores etiam atque etiam affectant, fit tandem, ut ad filias earum & neptes, mammarum iſthoc tranſplantetur vitium, & apud omnes pene lactationis impotentia abeat in naturam, haud abſimili ratione ac macrocephalorum, & pedum acuminatorum apud Chinenſes foeminas, & Hiſpanas, quae primitus artificioſis faſciis, partibus his iniectis, ab avis & proavis magno labore conciliabantur, in poſteris autem a natura errante producuntur, conf *Pechl. Obſ. Phiſico-Medicarum pag.* 107. Nam quid aliud efficiet puellarum quarundam continua & arcta mammarum papillarumque conſtrictio, a teneris unguiculis pro concilianda & conſervanda corporis gracilitate, per thoraces balenatos facta, quam quod ad molem debitam exſurgere haud poſſint mammae, ſed coaleſcant potius tubuli interni ab hac externa cauſa.

Mittamus proinde & has, quibus natura neceſſarium hunc ad lactis geneſin apparatum plane denegavit, operam enim omnem oleumque, ut in proverbio eſt, in emendandis his vitiis, perdes certo, cum impotentia haecce, quae arbitrii res erat, nunc facta ſit neceſſitatis. Aſt difficile

le innoteſcit hoc illorum vitium a priori, cum debita magnitudine mammae huiuſmodi inertes ſubinde appareant. Nihilo ſecius graciles depreſſae, planeque extenuatae viſuntur frequentius, ita ut a virorum mamillis vix quicquam differant. Caute tamen hic procedendum, nec temere ex ſola gracilitate mammarum, reiicendae a lactatione ſunt foeminae; cum in ſubiectis iunioribus, & quae prima vice hanc ſpartam ornant, ſola ſuctione humorum affluxus concitetur, cum tanto augumento & intumeſcentia harum partium de die in diem, ut inopes has in mammis, brevi poſt egregie cernamus mammatas.

Quod ſi igitur uſque adeo iudicanda eſt, ex collium horum lactifluorum facie externa, ad lactandum habitudo magis erit ſuſpecta nimia, & inſignis illorum moles. Paradoxum hoc videbitur, cum communiter ex amplitudine officinarum commode in iis opera poſſe perfici ſuſpicemur: Inſuperque frequenti obſervatione conſtet, obeſulas foeminas longe maiorem reddere copiam lactis prae gracilibus, quod a Coring in ſuo de Lacte tract. annotatum quoque video. Verumtamen his non obſtantibus manet ſententia inconcuſſa, ſtat enim a partibus meis tam Ratio, quam Experientia. Ratio eſt, quod quo ampliores ſint mammae, eo magis a pinguedine, glandulis & tubulis lactiferis circumpoſitae, arctentur, eoque impediatur lactatio. Experientia tamen tam frequens eſt, ut non lippis, & tonſoribus ſed obſtetricibus quoque, & aniculis clinicis, haud incognitus ſit iſte effectus. Nec

ob-

obſtant, quae in contrarium adducebantur obeſulae, nam facile totum hoc concedere poſſumus argumentum ſalva manente theſi, cum obeſulas inter, quae praegrandibus mammis ornatae ſunt differentia intercedat notabilis.

Pergo igitur ad reliqua accidentia mammarum, circa figuram, colorem & faciem externam. Vbi notetur, non probandas eſſe mammas flaccidas & pendulas in nutricibus; indicant enim vel penuriam lactis, a cuius affluxu ſufficienti ad rigeſcentiam uſque facile infarciri alias ſolent: vel ſuſpicionem movent de deficientibus viribus naturalibus, ſeu Tonico robore: hinc aniculas ſolenniter, & ſubinde iuvenculas morboſas, aut quibus morbus gravis ſaltim imminet, pendulis incedere mammis, annotatur: Sunt tamen & quaedam foeminae, quae tali vitio a prima conformatione laborant, quale quid de Mauris & Americanis quibusdam foemellis referunt, qui regionum iſtarum naturalem hiſtoriam literarum monumentis conſignarunt. Verum enim vero rariſſime noſtris in oris deprehendimus tales, quare etiam nobis haud facile ſcrupulum movebunt. Omni proin tempore praeferendae ſunt mammae durae, & carnoſae, mollibus nimium & penſilibus, imprimis ſi pectori nutricis amplo inſideant, utpote in quibus lactis praeparatio, & elaboratio felicius longe abſolvitur, quam in illis, quibus thorax anguſtus, acuminatus aut depreſſus, cernitur.

Sequitur nunc color mammarum, quem quidam Medicorum poſtulant album, venis coeruleis

ornatum, taleſque reliquis omnibus praeferendas eſſe putant. Verum tamen, utut hae circumſtantiae iudicent cutis nitorem, & per conſequens formoſitatem nutricis; non tamen ſemper ea index eſt infallibilis boni lactis, nec verſa vice, mammae, quae ſub fuſco aut livido plus minus colore apparent quo ad cutim ineptae propterea erunt ad officia! quid enim expectandum eſſet ab aethiopicis foeminis, & quas climatis vitium, vel aeris ſoliſque importunus attractus, cute inveſtit ſaepe ſatis atricante, aut ſaltim flava.

Non praetereunda eſt hac occaſione textura mammarum nodoſa & tuberculis diverſis obſita, in quibusdam foeminis ſe offerens, quae vitia dum glandulas mammarias obſtructas, aut alio quopiam malo laborantes, indicat, e conſortio bonarum Nutricum, eo ipſo exturbant has. Non enim credibile eſt tranſcolationem lactis futuram laudabilem, ſi organa vel inſpiſſato muco vel alia foeculenta & tartarea materia, fuerint infarcta. Potius metuendum eſt, ex corruptis humoribus, ſuctione infantis pededentim elicitis, noxam mortemque puſionibus acceſſuram. Nec tandem probare poſſum mammas cicatricibus horridas. Eſto enim laudis ſigna eae ſint in facie & pectore viri, minime tamen in foeminis eae probari poſſunt, ſubtus enim olim latuiſſe ulcera ex ipſis colligi poteſt, adeoque non debite amplius eſſe conſtitutam internam conformationem earum, clare ſatis innoteſcit: hinc metuendum, lac intus generari non adeo laudabile.

His

His proinde probe perpensis, inspicere nunc licebit papillas seu prominentias istas tubulosas & cribriformes, quae in acuminata mammarum parte positae, lactifera vasa a glandulis mammariis prodeuntia, admittunt, quaeque infantibus inserviunt, ut per illas ore arreptas, suctu elici valeat sapidum hoc contemtum. Etenim in his quoque reperitur haud raro aliquid, quod ineptas reddit foeminas ad lactationis officium. Quod si enim illae nimium protuberent amplitudinemque insignem possideant, angusto tenellulorum ore apprehendi, aut saltim diutius fugi nequeunt. Cumque insuper huiusmodi papillarum turgescentia rarissime statim a principio lactationis adsit, sed demum ex longa illarum sollicitatione fiat, lacte aetatem, ac consistentiam crassam non male ex ipsis quoque suspicamur. Nec aliter ex oppositae magnitudinis papillis h. e. nimium parvis & latitantibus iudicandum est, nam vel penitus non apprehendit illas lactens, aut non sine notabili indignatione, mox rursum amittit, quamvis in his, praeprimis si primiparae fuerint Nutrices, spes adhuc superst, instrumentis convenientibus, hinc inde a Medicis descriptis, aut suctione continuata illas tandem augmentum, & magnitudinem necessariam acquisituras. Imo & paululum maioribus papillis, assuefieri temporibus tractu infantes posse, quotidiana discimus experientia.

Sed sunt quoque, qui ad colorem eminentiarum harum attendere iubent; quod si enim eae non eleganter rubrae, aut saltim ex rubro pal-

lidae cernantur, morboſam eſſe nutriculam, pronuntiant, citantes in fidem huius *Hippocrat. Popular. Sect. V. & Wedel. Phyſ. Sect III. cap.* 23. Neutiquam tamen perpetuae veritatis regulam eſſe puto, cum ab aetate, vitae genere ac temperamento nutricum, nec non ab infante fortius nunc, nunc blandius ſugente, aliiſque infinitis circumſtantiis, etiam in perfecte ſanis, mutationes colorum notabiles admittant papillae; hinc ruber earum color, una cum aliis ſignis equidem notam eſſe bonae nutricis, admitto: ſed verſa vice aliam eius faciem, quam hanc, ſufficiens dare ſignum eas lactationis munus non rite ornaturas, minime credo.

Pergo nunc, his praemiſſis, ad lactis ipſius bonitatis notas. Minime enim omne fluidum, quod ex his ſcatebris propullulat, aptum ad infantis alituram eſſe, quin ſtatim ac tantillum a regulis naturae, vel in quantitate, vel in qualitate, iſtud recedat ipſam Nutricem culpabilem reddat. Clarius quo haec pateant, veniat ſub examinis incudem, primo eius quantitas imminuta, & deficiens; ubi nimirum tanta lactis copia haud ſuggeritur, quanta, ut ſatisfiat fami & ſiti tenelluli, alias requiritur. Ne tamen in dicenda de lacte imminuto ſententia nimis forſan videamur rigoroſi, inſonteſque nutrices aliquando repudiemus, ſigna eius ſatis certa habebimus, ſi infans, licet ſatis diu pependerit de mammis, ſatiatus tamen haud quaquam ſit, ſed eiulatum importunum uſque edat, donec aliud quodcumque alimentum aut potulentum ipſi fuerit ingeſtum.

Quod

Quod ſi vero a priori addiſcere hoc vitium velis mammae ſemper exſuccae, flaccidae & pendulae id tibi in his dabunt. Nec patiaris te decipi ab egreſſu aliqualis copiae lactis, quam mammarum compreſſione aut mulctu ſibi aſtutae huiuſmodi foeminae conciliare ſolent, de inopia lactis ſuſpectae. Vtut enim a tali mammarum compreſſione ſaepe lac erumpere cernatur, cum ſaltu, aut effluat ad aliquam quantitatem, nil tamen praeterea, & ſaepe ne guttula quidem intus inſuper latitat, ſed penitus exhauſti ac ſiccati iſti ſunt fontes. Vnde ad perſpiciendam hanc farriginem, bonam quantitatem lactis ut mox una vice emulgeat, iubeatur.

Praeterea obſervandum quoque eſt in determinanda inſufficientia lactis, num illa nutrici accidat circa lactationis initium; quo in caſu, animus non penitus abiicendus eſt, cum viae tum temporis adhuc anguſtiores, & infans nimium debilis, nondumque exercitatus in ſuctione fuerit, modo etenim ille ſtrenue ſollicitet fontes hos, ita temporis tractu dilatabuntur tubuli & canales lac ducentes, ut copia poſthac neceſſaria, facile prodeat. Quod ſi autem extra hoc tempus exſucci videantur magis ſuſpecta erit iſta nutrix. Inquirendum tamen & tunc venit, num penuria alimentorum, in ſpecie vero potus, aut infantis inſatiabilitas culpam habeat, num vero morbus aliquis adſit aut immineat, chylificationem impediens. Quod ultimum pene ſolenniter in mammis, ex lactae prius obſervatur, quam ulla alia in parte. In tribus ſiquidem prioribus caſibus,

ſuc-

ſuccurri adhuc poteſt malo, vel copioſioribus aut euchymis alimentis infanti ſimul oblatis; aſt in reliquis, non tuta erit fides, cum nil facilius contingat, quam ut morbificam materiam inſons fugat puſio.

Sequitur lactis abundantis conſideratio. Rarius equidem ea de cauſa Nutrices repudiari facile admitto, cum iuxta vulgi opinionem, excellentia & praerogativa illarum potius probetur inde. Liceat nihilominus mihi id aſſerere, & has non minus quam priores haud poſſidere omnes bonitatis notas: nam aut debilis eſt lactens, aut robuſtus; ſi debilis, non deplebit aut exhauriet mammas, ſed ſemper copia lactis remanebit in illis, quae poſthac ex mora diuturniori congrumatur, vappeſcit & corrumpitur, adeo, ut in ſubſequentibus ſuctionibus, non niſi admodum vitiatum eliciatur; quod ſi vero robur maius adſit in infante, tum maiorem quam par eſt luxuriantis huius fluidi copiam ingurgitat, unde interdum ſubitaneae, & non raro lethales epileſiae, ſuffocationes, aliique graviſſimi morbi poſthac naſcuntur certo certius, niſi ſuperfluum iſtud ſagacis naturae beneficio brevi poſt vomitu iterum eiiciatur, uti recte id annotavit illuſtris Autor Medicinae mentis & corporis. Quapropter ad abundantiam hanc lactis quodammodo imminuendam tenuis diaeta, & evacuantia imprimis dein Venae Sectio vel Scarificatio, in pedibus adornanda, & pro impediunda corruptione lactis in mammis ſtagnantis, ut emulgeatur iſtud vel alio habito apparatu depleatur, ſuadendum eſt ſerio.

Imo

Imo vero abundantis nimium Lactis depletio crebra, non solius corruptionis praecavendae gratia, instituí debet; Sed omnino propter aliud incommodum, novis Nutricibus valde familiare, quod D. Praeses in Illustrissimorum Infantium Nutricibus, aliquoties deprehendit. Hae, e rebus tenuioribus quidem venientes interim bene sanae, & infantes robustos & semestres plus minus, hactenus alentes scatebant perpetuo lacte & affluebant. Cum vero ea communiter sit superstitio, ut mulierculae quae aularum nidores sectantur, pro inquinamento fere habeant, si Nutricis infans, ubi semel illustris puerulus mammam arripuit, eandem ulterius attingat; Fit inde ordinarie, ut insufficiente illa Evacuatione, quam tener recens natus infans, prae antecessore suo robusto & quadrato, perpetrat, restitatio residui, & inde, in robustis atque sanis foeminis, regurgitatio & Palindrome sequatur, ut forte tertio aut quarto die omne Lac perfecte evanescat, & siccae haerent Mammae. Quod quidem, licet fatuae maleficio invidarum cum eiulatu adscribant, revera tamen non nisi dictam habet causam: Adeo ut Foeminae lactantes, si ablato, aut mortuo infante, lac discussum cupiant, vix meliore methodo scopum suum assequi valeant.

His itaque absolutis, devolvimur ad considerandas qualitates lactis genuini, quae sunt, ut habeat in se debitam consistentiam, naturalemque colorem, saporem & odorem. Cum autem omnium saepissime ex inspectione lactis, de eius & per consequens, quoque nutricis bonitate, cogamur

pro-

pronuntiare, merito fusius signa ista perpendenda erunt. Faciam hinc initium a consistentia, ad quam diiudicandam suadet Oribasius, ut portioni eius e mammis expressae, aliquid coaguli vulgari admisceatur; quod si enim maior pars seri faceſſet, minima sub forma casei relicta, debitam exin consistentiam concludendam esse: secus si contrarium contigerit. Aliud signum suggerit Aetius, nempe ut filum sericeum aut cannabinum lacti immergatur, & observetur, num aequaliter lateribus eius, num vero glutinis ad instar adhaereat, vel num omne mox rursum delabatur, prius enim consistentiae debitae, alterum lactis nimium spissi, & tertium excessive tenuis erit signum. Alii iubent, ut guttula lactis vel dorso unguis, vel vitri aut patinae convexitati, imponatur, nam si tunc intra terminos proprios, & quidem firmiter maneat, utut invertantur aut inclinentur unguis vel vasa dicta, nimis spissa erit consistentia; si vero pededentim locum suum priorem deserit, laudabilis erit eius compages.

Insuper tamen ipsius lactis, si mihi ita loqui licet, aetas, de eius consistentia suspicionem movere potest. Semper enim in nutricibus, quae non multum retro matres sunt factae, consistentia magis fluida, & e contrario, crassa, observatur, si iam per aliquot menses aut annos officio tali praefuerint. Deinde alimentum, quo utuntur nutrices, eiusque copia, signa quoque dabunt consistentiae exin oriundae lactis. Eupepta enim, larga manu ingesta, uti sunt iuscula, pulmenta ex farina triticea aut secalina, milio, oryza, lacte

fari-

ovis aliaque huius generis edulia, potus vero parcior aut craſſior, uti ſunt plures cereviſiae lupulatae, aſſumtus, in Nutrice ſana certo generabit chylum, & per conſequens etiam lac, craſſum; ſicuti ex oppoſito, difficilioris aut nullius chylificationis alimenta, vel quae non ſufficienter gelatinoſas aut butyraceas in ſe habeant partes, cum potu multo tenui aſſumta, ut chylum, ita lac tenue & fluidum dabunt.

Colorem lactis quod concernit; eius candor naturalis cunctis eſt notus, ita ut etiam ab illo quaedam albedinis Claſſis, lactea dicatur. *Velim* tamen id notetur, utut in quam plurimis brutis, domeſticis non minus quam feris imprimis tamen in bubulo, caprillo, ac ovillo lacte, ſeſe talis albiſſima facies offerat, tamen in humano non ſemper, imo rarius adeſt, utpote quod potius ad luteum & caeſium inclinat ſolenniter. Tali proinde ſub pallio, ſi ſe offerat Lac, nil plane alit monſtri. Veruntamen ſi inſigniter flaveſcat, ſi nigricet, virideſcat, rubrum, vel ſaphirinum colorem, in ſe oſtendat, procul diſcedant ac removeantur penitus nutritiae iſtae, cum nil ſit certius, quam quod integra haud ſit textura lactis huiuſmodi, ſed ex maxime corruptis humoribus talem promanaſſe. Subinde tamen, licet rariſſime, ex alimentis aut medicamentis, colore notabili imbutis, mutuo ſumit illos colores lac, quale quid de rhabarbaro, & vino ſupra ceraſa, recentia infuſo M. N. C. *Dec.* 11. *A. VI. p.* 27. teſtantur. Vnde tunc demum ferendum hoc eſt

iu-

iudicium, quando diu colorem huiuſmodi retinet atque ſervat.

Sapor lactis in naturali ſtatu gratus admodum eſt, palatoque tenellulorum maxime arridens. Ergo lac genuinum non ſuggerunt Nutrices, quod deguſtatum vel ſalſedinem notabilem, inſtar ſc. ſalis culinaris, vel acido ſalſum, auſterum, amaricantem, aut quemcumque alium, vel ſimplicem, aut magis mixtum, in lingua relinquat ſaporem. Nam ſi tale miſellis vel inſcie, aut conſulto exhibeatur, proh Deum! quibus & quam diris non exponuntur ſubito affectibus, cum hoſtilia admodum, & tantum non exitioſa ſint quaecumque ſalia acria, tenellulis his corporibus; ita ut nec levem eius attactum, niſi graviſſime, ferant. Si forſan dubitas, provoco ad Salia volatilia, quorum una ſc. vel altera tantum gutta, tali tenello ſubiecto exhibita, miras faciei contorſiones & pene totius generis nervoſi irregulares motiones conciliare apta eſt, ſi minus diluta, reſpirationi officiant, & palatum infantis gravius feriant. Provoco etiam ad aphthas, tormina ventris, Epilepſiam, alvi fluxus, intertriginem, cruſtam lacteam, mictum acerrimum, partes proximas excoriantem, alioſque infantiles morbos, quibus brevi poſt tale lac vitiatum aſſumptum, etiam a cibis nimis ſalitis nunc, & tunc ſolum naſcens, implicantur mireque torquentur.

Tandem quod lactis odorem attinet, genuinus omnium conſenſus eſt, rectuſque ſi nullus fuerit. Sunt equidem quidam emunctioris & excellentioris naris, qui ſuum ſpecificumque odorem lacti

ineſ-

ineſſe aſſerant, & memini me a quodam viro fide digno, audiviſſe, ante aliquot luſtra ſibi notum fuiſſe villicum, qui naribus, admoto lacte, non ſolum caprillum, ab ovillo, ac bubulo, ſecernere, ſed quod pene ſupra fidem aut ſaltim naturales vires videtur animalis quoque colorem poterat determinare. Facile itaque & huic fuiſſet, morboſum lac a laudabili diſtinguere. At enim vero cum excellentiam huiuſmodi non omnibus ineſſe voluerit naribus Summus Regum Conditor, ſatis erit, ſi olfactus organo ſaltim notabiles diſtinguamus anomalias, odoris ratione in lacte occurrentes, uti ſunt ſi ſpiret acidi quid, aut putridi, planeque coenoſi, quod ſaepe notatur poſt moram aliqualem in mammis. Etenim abſolute eſt impoſſibile, ut fluidum hoc, ex partibus adeo diverſis, pinguibus ſc. ſeu butyraceis, ſalinis, aqueis caſeoſiſque compoſitum, ſuſtinere diutius digeſtionem poſſit, quin ex actione ſalium in ſulphura, odoris exſurgat diverſi fluidumque iſthoc totaliter tandem invertatur & deſtruatur. Non igitur miror ulterius, ſi lac e mamma inflammata, aut ſaltim ex tumida, aut nodis hinc inde obſita, infantes ſugere detrectent, ſaepe enim tam acidus aut aliut inſuetus odor tum ineſt, ut etiam mulierum ſuctricum nares ſatis alias obeſae illum ferre haud valeant. Nec abſonum eſt, profundius, h. e. in viſceribus latitante fomite, mali, peregrinum quendam odorem lacti communicari poſſe, cum mihi conſtet, ex relatione Medici cuiusdam in Phthiſica, aliaque quae inveterato uteri rheumatiſmo laborabant lac foetore putrilaginoſo exacte ſimili fuiſſe imbutum, qualem ſordes ab his

ex

excretae ſpirabant. Et quaeſo quid notius eſt, quam odores alimentorum lacti imprimi : ſi dubitas admove, quaeſo, tale naribus recens mulctum quod dedit vacca aliaria, vel urſino allio aliquandiu nutrita, & ſi torpidus non plane tibi fuerit odoratus alliatas quasdam exhalationes nares tuas verberare annotabis. Vt igitur concludam, Nutrices, quarum mammae lac praeparant, foetore, alioque quocumque odore peregrino imbutum; ſint ſuſpectae, removeanturque ab hoc officio, ſi praeprimis ex viſcerum laeſionibus, & diuturna mora in mammis, pravam hanc diſpoſitionem eſſe natam conſtet. Mitius vero tractentur, i. e. ſaltim ſuſpendantur a legatione ad tempus, quae ex errore in diaeta, immutarunt odorem eius.

Sic, ni fallor, ſatis huc uſque expoſita ſunt illa requiſita Nutricis, quae tam in organis lactis elaborationis, quam in ipſo producto, ſenſibus noſtris ſunt obvia. Licet autem ſatis ſint declarata omnia tamen plurima latitant adhuc aeque, imo magis neceſſaria, ſenſibus noſtris externis minus nota; adeo, ut etiamſi quis lynceus plane foret, non tamen poſſet per cuncta examina circa conſiſtentiam, ſaporem, colorem & odorem abhibita, labem deprehendere ſaepe maximam in lacte latitantem. Multa enim adhuc ſunt, quae inſenſibiliter miſcelam eius naturalem corrumpunt, adeoque in diverſos morbos praecipitant puſiones tenellulos, aut mores ſaltim & animum illorum egregie corrumpunt.

Spirituum enim & fermentorum ſpirituaſcentium, in lacte Nutricum latitantium, vitia, adoptio-

ptione in haereditatem tenellulis cedere conquesti sunt plures antiquorum & recentiorum. Non adducam probationis loco Romulum & Remum a lupa, Iovem a capra, Cyrum maiorem a cane, Telephium, Herculis filium, a cerva Alexandrum Priami ab ursa, Peliam Neptuni filium longo tempore ab equa, educatos mores posthac bestiis his satis exacte conformes, possediss, uti referunt Aelianus *Rar. Histor. Libr. XII. capitol.* 42. *Iul Caes Baricell in Hortul. Genial. pag* 268 *Philipp Camer Hor. Subcisiv. Cent. I cap* 75. Novi enim a quibusdam negari hos enutritos fuisse a bestiis, sed foeminas nominibus tantum his insignitas, curam illorum habuisse, prout id potissimum probant de Nutrice Romuli & Remi, quam Accam Laurentiam nominatam, uxorem Faustuli pastoris fuisse perhibent, lupae vero titulum acquisivisse propter quaestum corporis. Similiter de Nutrice Iovis referunt, non capram, sed filiam Hermonii Attalorum Regis, Amaltheam dictam exstitisse, confer. Plinius Livius, Natalis Comes *Mytholg. cap.* 2. *Lib. VII.*

Ne igitur cum larvis pugnare deprehendar, alia adducam exempla, refert Diodorus *Lib* 11. de Caesaris Tiberii Neronis Imperatoris Nutrice, eam multibibam fuisse; & eius Antecessoris Caligulae, nutriculam, quo prompte arriperet pusio mammas, sanguine illinere eas, in consuetudine habuisse: unde factum, ut primus insatiabili bibendi appetentia, per universam laborarit vitam, adeo ut frequenter a Romanis non Tiberius Nero, sed Biberius Mero dictus fuerit. Alter vero tam

saevus & ferox extiterit, ut non multa solum homicidia, propria patrarit manu, verum aliquado optarit, ut toti humano generi unicum esset collum, maxima enim eum voluptate illud se praecisurum. Quid quod Helmontius testetur, *Tract. de Infant. Nutrit. pag.* 622. se observasse saepius salaces, furtivas, avaras, iracundas, aliisque perversis moribus praeditas, in lactentes infantes deduxisse pravos hos mores. Alia facile etiam ex brutis peti possent, quorum ferocia mutatur cum mansuetudine, & versa vice mansuetudo cum ferocia unice, ex lactis diversi usu in educatione adhibito.

Summo igitur cum studio in seligenda Nutrice eius animi mores observandi sunt. Et licet non exacte ad regulas moralistarum sint formati, quod vix in hac mortalitate expectandum: satis tamen erit, si modo fraena iniicere animi insultibus valeant, nec nimis pronae sint in admittendis pathematibus, nec perseverantes in illis. Imprimis vero est necessum, sint patientes & mansuetae; non enim leve opus est, per unius anni ad minimum spatium, unice pene inhaerere Lactationi ac nutritioni infantis. Initium certe lactationis res est laboris & patientiae multae, nam stupidus pusio, saepe difficulter apprehendere incipit mammas, hinc opus habebit nutrix vel Colostrum, si puerpera fuit, sapore ingratum prius emulgere: aut alieno lacte, vel amygdalino, aut quodam syrupo, areolas illinire, aut comprimendo papillas, osculo eius lac instillare, ut sc. sensu discat, istis ex collibus prodire fluidum, quod sitim famemque cum gratia lenire possit. Deinde patientia opus habe-

bit

bit in progreſſu, frequenter enim mammae exhibendae ſunt infantibus primis a partu menſibus, ſc. omnibus bihoriis, poſt tres vero, vel quatuor menſes, ſexies aut ſepties, poſtnodum vero bis vel ter, ſingulis nyctemeris. Et quis enarrabit moleſtias cunctas, quas devorare cogitur, dum papillarum fiſſuras, ex ſuctione forti, pati cogitur, vel pultem ori infantis indere, aut eum a ſordibus purgare, cunas pro provocando ſomno motitare, &c.

Fugiat etiam moerorem triſtemve ſeveritatem cum inde lac coaguletur & inſpiſſetur. Omnium vero maxime Terrori reſiſtat, cum, quo magis vehemens iſte fuerit animi motus, eo maior triſtiorque imprimatur inde lacti effectus, & maxime pavoribus & Epilepticis motibus exponat Infantes. Quoniam vero vix inter mortales ullus reperitur, qui horrida obiecta, ex improviſo oblata animo tranquillo & placido excipere poſſit, ferenda quidem & excuſanda haec animi imbecillitas eſt, modo id obſervetur, ne prius exhibeat fugendas mammas, quam ad minimum ſpatium quatuor vel quinque horarum emenſum ſit, omneque lac, quod tempore terroris inerat iamiam mammis, vel a cane iuniore, aut aliis inſtrumentis, aut ſollicita expreſſione, fuerit evacuatum, ſimulque remedium, coagulatum lac reſolvens, adhibitum, fuerit.

Vlterius commendatam ſibi habeat temperantiam, ſive in cibis, ſive in aeris admiſſione. In aſſumendis eapropter fugiat ceu anguem, copioſa acida, acetaria puta, braſſicam muriaticam, vina acida &c. imo & facile aceſcentia v. g. dulcia & mellita; concreſcit enim ab illis lac

ſumme poſtmodum infantibus noxium, dum corrumpit & praecipitat caſeoſaspartes a butyraceis, roditque ſaepe ſatis importune infantum interanea. Quod ultimum contingit quoque, ſi nimium ſalitis, fumoque induratis delectetur, aut acrimoniam quandam in ſe habentibus, quorſum in ſpecie ſpectat raphanus ruſticanus, a cuius eſu ſemper tormina & inflationes infantibus eſſe natas obſervavimus. Eadem quoque ratione frigidus potus, imo frigidae deambulationes nudis pedibus, denudationes brachiorum, mammarum, &c. tenerioribus infantibus praeſentiſſime infeſta obſervantur.

Circa aerem enim obſervatur, temperiem lactis alterari notabiliter in mammis, tam a nimia eius caliditate quam frigiditate. Non ita pridem ipſe id annotavi in quandam conducta Nutrice, quae utut turgidiſſimas a lacte haberet mammas, omne tamen amiſiſſe penitus, poſtquam pro abluendo corpore per bihorium caldariam occupaſſet cellam. Frigus vero libere ad mammas admiſſum, non ſolum repellendo inhibet notabiliter ſecretionem lactis, ſed quoque coagulando, aut ſi mavis congrumeſcendo, fluidi huius texturam laedit enormiter, hinc peſſime ſibi, alumniſque ſuis conſulunt eae Nutriculae, quae ex petulantia vel incuria nudatas mammas gerunt, aut ſaltem dum lactant, diutius coelo frigido exponunt.

Vltimo omnium decet Nutricem temperantia in Venere. Sub hac temperantia in Veneris opere volo non ſolum concubitum, ſ. ab ipſo impraegnentur Nutrices nec ne, verum quoque deſiderium & orgaſmum venereum, qui aeque imo

ſae-

saepe magis adhuc nocivus est, quam ipse repetitus congressus. Adeoque insufficiens color iste mihi videtur, quo quaedam matres, lactationi natorum se subducentes, factum hoc incrustare solent, quod scil. id faciant, ne cum ad illa officia coniugali lege invitentur, ab illa consuetudine cum viro, quam vix evitari posse dicunt, lactis temperiem immutent. Quasi sc. foeminae haud nuptae; venereis furiis agitatae, etiam citra cohabitationem viri non aeque corrumpant liquorem hunc nutritium? Et quid ni corruperint illum solis lascivis cogitationibus aliisque similibus actionibus, cum fluxus mensium modo praeter morem solennem accidens Nutricibus, enormiter statim bonitatem lactis laedat, ad vociferationes, inquietudines, pluraque alia symptomata disponat tenellulos: observantur vero praecipue paulo teneriores infantes, post actum matris lactantis talem, non solum langueſcere, atque inquietudine affici, sed etiam lac fere revomere.

Sed habenda quoque est ratio corporis, in illis. Repudientur igitur Nutrices valetudinariae adhuc manifestis morbis laborantes, sive sint ex classe illorum, quibus spiritus, vel solidae, aut fluidae partes, vel omnes simul, subinde laborant. Cum enim oeconomia totius corporis turbata plus minus in illis reperiatur, non aliud nisi notabiliter vitiatum lac secerni & reddi isthoc in statu potest. Imo ne senescentes solum, licet de coetero satis vegetae & sanae Nutrices, provinciae huic cum laude praesse posse firmiter mihi persuasum habeo, cum naturale corporis decrementum in his succos laudabiles non videatur

pol-

polliceri, hinc obſervatum eſt etiam a quibusdam, infantes a talibus enutritos, maturius exoleſcere, & corpora illorum, toto vitae decurſu imbecillia admodum remanere. *Conf Weinrich. de Ort. Mon c* 25.

Ante omnia vero in hodierna non magis morum quam Corporum Epidemica corruptione, bene cavendum, ne Nutrices, de meretricum cenſu communiter petendae, Venereae Luis inquinamenta corpori immerſa gerant. Cuius generis, ut profecto non ita rara ſunt ſpecimina, ita meminit praecipue unius D. Praeſes, ubi puellula militaris proſtibuli lacte in infantia aliquandiu ſuſtentata, ſatis ſana atque vegeta apparuit, ad ſeptimum uſque annum: ubi derepente hinc inde in partibus, carnoſis aeque atque tendinoſo-oſſeis, pluribus ſteatomatibus correpta, poſt multa remedia, imo ipſam Salivationem, bis & diu repetitam, denique tamen hectica interiit, ſteatomatibus non perſanatis. Neque vero ſcorbuticis manifeſtioribus, & quidem ſtricte talibus, impuritatibus, onerata ſit: A quali ſimiliter Nutritum nobilem infantem vidit D. Praeſes, qui ita a cunis uſque exquiſitiſſime Scorbuticus perpetuis maculis violaceis, imo ceraſi acidi colore nigricantibus, & latitudinem mediocris ceraſi aequantibus, obſeſſus, membris diſtortus, dentibus partim nigris, partim elapſis, mutus, & ſimiae vetulae, quam homini ſimilior, vixit ad undecimum uſque aetatis annum quo tamen ulnae unius cum uno quadrante, longitudinem, vix exceſſit, & denique mortuus eſt.

Sed ſatis haec dicta ſunto de Notis Nutricis Bonae in genere. Binis nunc verbis, in animo habeo,

beo, adiicere ſpecialia requiſita, de earum reſpectu huius ſcilicet vel illius infantis, Sunt igitur non pauci Medicorum, qui ea propter urgent, ut ipſa mater in ſe ſuſcipiat hoc officium, aut quod ab antiquis Alzarrhavius, in libro Theoricae & Practicae *Tract* 26. *cap.* 3 ſuadet, ut nutrix ſit ex neceſſariis & cognatis puerperae, tale enim ſolum, non aliud, nutrimentum, conforme eſſe texturae corporis infantum putant. Nihilominus cum non omni tempore conſilia haecce locum inveniant, ſed innumera reperiantur obſtacula, quae nec ipſas puerperas, nec ſanguine iunctas admittant ſubinde, ſatis erit, modo nutrix adhibeatur quae non a longo tempore peperit.

Nam ſeroſum tale fluidum, quod ex mammis harum provenire ſolet, apprime convenit aetati huic ratione aquoſarum iuxta ac ſalinarum particularum intus concluſarum, utpote a quibus ſaburra illa, ex atro viridicans, quae communiter Meconii titulo ſalutatur, & pene ex toto inteſtina recens in lucem editorum, infarcire ſolet, ad excretionem feliciter diſponitur. Quod ſi tamen non impetrari poteſt nuper facta puerpera, ſufficiet, ſelegiſſe Nutricem, cuius lac moderate tenue ſtuidumque poſſideat temperamentum. Excoctum etenim magis craſſumque & ſpiſſum, haud convenit recens natis primo hauſtu, parit enim obſtructiones alvi, inflationes abdominis, ſuffocationes, ſaepeque mortem, cum nullo modo viſcera haec tenerrima, ferre poſſint nimis nutritivum huius modi lac. Conſultum eſt, ut tales Nutrices largius bibant.

Non inconſultum quoque eſt, annotante *Pechli-*

chlino, *Obſ Phyſico-Medic. pag.* 108. habitum, corporis etiam in Nutricibus obſervare, num ſc. iſte reſpondeat germanae matri, ſi enim ſimilia, quoad partem maximam, h. e. conformationem & magnitudinem adſint membra, aut partes tranſcolationibus inſervientes, non adeo diſconvenient in ſe ratione texturae humores in illis ſecreti, hinc ſi iunceae, tenerae & delicatulae fuerint puerperae, ſeligantur quoque ſimiles Nutriculae, ſi vero robuſtae, habitiores & obeſae fuerint matres, convenient quoque Nutrices tali habitu praeditae. An etiam quoad faciei criniumque colorem, ut aliqui putant, harmonia matris & Nutricis requiratur, non facile dixerim, quemadmodum nec Nutrices, capillis ruffis ornatas, penitus ineptas eſſe ad haec officia ſubeunda, credo, uti Mauriceau *Tr.* de morbis gravidarum *p. m.* 395 docere non erubeſcit Ratio enim eius, quod nempe nimis calido ptaeditae ſunt temperamento tales, eſt petitio principii Niſi igitur graviora adſint impedimenta, ſententiam tam rigoroſam miſellae hae non videntur mereri. Magis notatu dignum illud Nutricis bonae requiſitum mihi videtur, quod idem Autor c. l. adiicit circa ſermonem eius, ut nempe vox ſit ſuavis & articulata, infinita enim adſunt teſtimonia, corruptam ab initio loquelam in infantibus eſſe a Balbutie, Blaeſitae, alioque Nutricum linguae vitio, ſic ut in ſequentibus tempor bus, vix & ne vix quidem, maxima licet adhibita diligentia potuerint emendari.

FINIS.

433745

t.p: E.V.

BIBLIOTECA